COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

SECVNDAE DECADIS
SVPPLEMENTVM III.

LIPSIAE MDCCLXXIV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amstelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourse, Parisiis apud Briasson, Venetiis apud I. B. Pascali, Patauii apud Io. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

D. IOANNES DANIEL REICHEL.

Ergo progreſſus ſum in eo curſu, quem mihi adſignarat beneuola voluntas LVDWIGII *), in cuius memoria non ſolum praeceptoris et fautoris, ſed et alterius patris mihi quotidie occurrit ſpirans adhuc et gratiſſima imago, quam ſanctiſſime me ſemper contemplaturum et imitaturum eſſe palam hic ſpondeo: atque ſecundae decadis cum ſupplementis horum commentariorum, qui auctore b. LVDWIG dudum edi ſunt coepti, finem feliciter ſum aſſecutus. Non mihi tantum de hoc labore

*) EIVSD. progr. ſiſtens de plexibus neruorum abdominalium atque neruo intercoſtali duplici obſeruationes nonnullas Lipſ. 1772. 4. p. 16. quod ſcripſit ad meam inauguralem diſputationem, de calculis renalibus obſeruationes in ſe continentem.

labore satis arduo, prospere nunc absoluto, gratulor, sed et Viris Praestantissimis, qui mihi assidue adstiterunt meumque studium indefesso auxilio iuuerunt, iisque humanissime gratias ago.

Multos quidem eorum sociorum, quos b. LVDWIG sibi elegerat *), partim mors abstulit, partim negotiorum varietas atque multitudo impediuit, quo minus opera et consilio mihi adessent: sunt tamen quidam horum Magnificus BOSIVS, Excellentissimus GEHLERVS, Experientissimi Viri HEINIVS et KADELBACHIVS, Illustris KAESTNERVS professor Gottingensis celebris, Excellentissimus BOEHMERVS Professor Vitembergensis, qui de hoc opere continuato mecum laetantur, eique nunc ad finem perducto, pia erga LVDWIGIVM mente fauent.

Praeter hos autem et alios Viros Doctissimos, qui iam a b. LVDWIG loco iam commemorato

*) v. comm. nostr. prim. decad. suppl. I. p. 4.

memorato sunt laudati, primus nominandus est CHRISTIANVS EHRHARDVS KAPP, medicinae doctor celeberrimus, qui multo cum studio non nuper demum huic instituto prodesse coepit, sed a longo inde tempore inprimis vtilem operam ei nauauit. Non minus assidua et fidelis fuit opera, quam NATHANAELIS GODOFREDVS LESKE, Professor historiae naturalis in academia Lipsiensi, continuandis his commentariis impendit: quo eodem beneficio me sibi obstrinxerunt b. ADOLPHVS IVLIANVS BOSE Professor Vitembergensis et b. IOANNES GOTTHELF HERRMANN medicinae doctor, Excellentissimus IOANNES EHRENFRIED POHL, Experientissimi FRIDERICVS AVGVSTVS GOTTLOB KNOLLE, IOANNES GODOFREDVS LEONHARDI et IOANNES CHRISTIANVS REDLICH.

Inter exteros grati nostri animi significatione prosequendi sunt et venerandi Cll. IOANNES ANDREAS MVRRAY, professor Gottingensis celeberrimus, et IOANNES THEOPHILVS

BIEDERMANNVS, apud Freybergenſes medicus celeberrimus, qui in his commentariis edendis eximia humanitate mihi adfuerunt. Nec minus grata nobis eſt eorum amicorum memoria, quos per literas adire mihi licuit et qui in nouis phyſico-medicis colligendis vtiles nobis fuerunt.

Ceterum hoc opus continuatum duabus decadibus conſtat, quarum ſingulae decem Voluminibus continentur, vti quodlibet volumen quatuor partes complectitur et quatuor ſupplementa vno volumine comprehenſa cum indice triplici, nimirum indice hiſtorico, indice librorum et obſeruationum et indice rerum ſpeciali. Index ſecundae decadis triplex hoc anno 1775 curabitur: ſic quoque in continuando hoc opere ſedulo pergemus. Dabam Lipſiae, menſe iunio A. O. R. CIↃIↃCCLXXV.

I. Caroli

I.

CAROLI A LINNÉ amoenitates academicae, ſeu diſſertationes variae phyſicae, medicae, botanicae, antehac ſeorſim editae, nunc collectae et auctae, cum tabulis aeneis. Volumen ſeptimum. Holmiae, ſumtu et literis Direct. Laurent. Saluii 769. 8. Tab. aen. 7. Alph. 1. pl. 9.

Promiſimus nuper *) huius voluminis recenſionem, quam hic cum Lectoribus communicamus.

125. *Motus polychreſtus*, Reſp. *Chriſtian. Lado.* p. 1. d. 23. dec. 1763.

Commodis, quae moderata corporis exercitatio ſanis hominibus affert, generatim expoſitis, in quibus morbis opem ea ferat, ſigillatim docetur, et modus etiam, atque cautiones nonnullae, in ipſa adhibenda ſeruandae, adiiciuntur. Inter obſeruationes, ad probandam exercitationis in ſanandis morbis efficaciam adductas, memoratu inprimis digna videtur illa, qua Ill. LINNAEVS, vltra ſedecim annos hemicraniam frequentem paſſus, multisque remediis fruſtra vſus, tandem aqua pura, mane ad libram vnam pota, et exercitatione ante prandium ſuſcepta, a contumaci hoc morbo prorſus immunis factus eſſe dicitur. Virum etiam, quem aſcarides a puero ad annum vſque vigeſimum quintum male

*) v. ſupra p. 3.

habuerant, longinquo itinere, quod equo vectus fecerat, ſanatum eſſe refert Cl. Auctor.

p. 18. 126) *Hortus culinaris*, Reſp. *Iona C. Tengborg.* d. 22 iun. 1764.

Succinctam exhibet enumerationem plantarum, quae culinis familiares in Suecia vel hactenus cultae ſunt, vel ſaltim coli debere videntur. Appendicis loco, ea etiam vegetabilia proponuntur, quae ornatus cauſſa in hortis Sueciae ſeruari ſolent. Quomodo propagari, quale ſolum pro ipſis eligi, et qua ratione aduerſus coeli Suecici frigus defendi debeant, ad plerasque plantas declaratur.

p. 42. 127) *Hirudo medicinalis*, Reſp. *Dan. Weſer.* d. 6. mart. 1765.

Quam medici prae reliquis hirudinis ſpeciebus in vſum vocare ſolent, eſt *Hirudo depreſſa, fuſca, lineis flauis dorſalibus ſex, intermediis immaculatis, ſubtus cinerea, nigro maculata.* Tres in eius ore obſeruantur dentes, quibus conniuentibus cutim vulnerare, et ſanguinem, dimidiam circiter horam haerendo, donec ſatiata fuerit, ſugere conſueuit. Vt ſemper praeſto ad vſum ſint hirudines, aeſtate, aut vere collectae in ampliori vitro, quod cantharum aquae limpidae contineat, et quinquaginta hirudines viuas capiat, ſeruentur. Vitrum ita clauſum, vt aëri liber ſit aditus, ſubinde ſoli meridiano exponatur, et aqua quarto quouis die renouetur. Methodum, hirudinum cuti applicatarum caudas amputandi, quo plus ſanguinis ex aegro detrahatur, tanquam inutilem reiicit Cl. Auctor, et, ſi nimis cito a ſuctione impediantur, vulnuſculum inflictum thrombum difficulter ſanabilem parere, expertus, eas relinquere ſuadet, donec exſatiatae ſponte decidant. Si qua forte ſanguiſuga inteſtinum rectum intrauerit, ea clyſmate ex aqua bene ſalſa debet expelli. Commendantur hirudines non ſolum

ſolum ad haemorrhoides coecas, morbosque, a moliminibus haemorrhoidalibus ortos; ſed etiam in inflammationibus externis, v. g. oculorum et dentium: in eryſipelate, in vlceribus crurum cacoëthicis ex obſtructione menſium, in podagra, aliisque morbis, eas vtiles eſſe, oſtenditur.

128) *Opobalſamum declaratum*, Reſp. *Will. le Moine.* d. 22. dec. 1764. p. 55.

Relationem, quam Cl. FORSKÅLIVS a ſereniſſimo Daniae Rege, FRIDERICO V. ad orientales terras nuper ablegatus, de vera opobalſami familia atque genere, vna cum ramulo ipſius fruticis, foliis et floribus inſtructo, ex Arabia felici ad Ill. LINNAEVM ao. 1763. transmiſerat, cum lectoribus communicat Cl. Auctor. Pertinet autem planta, quae opobalſamum ſiue balſamum de Mecca fundit, ad nouum genus Brownianum, quod *Amyris* vocatur, et a reliquis huius generis ſpeciebus foliis ternatis integerrimis diſtinguitur. Deſcriptio eius, ad exemplar a Cl. FORSKÅLIO miſſum concinnata, hunc in modum ſe habet: Frutex ramis ſubpurpureſcentibus, ſubſtriatis; gemmis protuberantibus: folia e gemmis conferta, petiolata, ternata, laeuia; foliolis ſeſſilibus, integerrimis, lanceolatis, acutiuſculis; impari paullo maiore, cuneiformi, lanceolato: flores ex iisdem gemmis inter folia terni; pedunculis propriis, vnifloris, folio breuioribus, inferne vaginatis; bractea minutiſſima, ſubbifida: calix monophyllus, hemiſphaericus, laeuis, quadridentatus, dentibus remotis breviſſimis: petala quatuor, elliptica, ſeſſilia: receptaculum, diſcum floris occupans, marginatum, concauum, purpuraſcens: filamenta octo, ſubulata, breuiſſima, e receptaculi margine orta: antherae oblongiuſculae, quaſi ex duobus cylindris coalitae, erectae, flauae: germen receptaculo immiſſum in-

tra calicis fundum: ſtylus longitudine calicis, conico cylindricus, purpureus: ſtigma obtuſiuſculum.

p. 74. 129) *Diaeta aetatum*, Reſp. *Dan. Ioh. Ohrquiſt.* menſe maio 1764.

Quemadmodum ſanitatis noſtrae per diuerſa illa ſtadia, quibus vita hominum decurrit, non eadem facies eſſe ſolet; ſic etiam, quae ad eam tuendam ſpectant, praecepta pro aetatis varietate alia atque alia eſſe debent. Quorum praecipua, mutationibus, quibus homines, qua animum, qua corpus, obnoxii ſumus, adaptata a Cl. Auctore traduntur.

p. 84. 130) *Morbi artificum*, Reſp. *Nicol. Stragge.* d. 15. iun. 1764.

Diſſertatio haec varios illos morbos, quibus homines in artis ſuae exercitio obnoxii ſint, recenſet ad ductum Cl. RAMMAZZINI.

p. 94. 131) *Lepra*, Reſp. *Iſaco Vddmann.* d. 17. iun. 1763.

Morbi huius, in regionibus maritimis Bothniae orientalis et Finnlandiae, inprimis borealis partis Oelandiae Gothlandiaeque, endemice graſſantis; ad alias tamen Europae terras non, niſi quandoque translati, ab Aegyptiaca autem, Indica et Americana lepra, maxime ab illa veterum, nec non a tinea, diuerſi, deſcriptio ita ſe habet: Aegra corpora afficiuntur puſtulis, eſchara ſicca colorata praeditis; fronti, genis et extremitatibus infixa ſunt tubercula mobilia, indolentia, liuido rubentia; ea vero, quae in ore, palato, faucibus et ad linguae radicem ſedem habent, ſubflaueſcentia, vel ſubliuida; cuncta, et haec, et illa, omni deſtituta ſenſu; ea tamen, quae iis vicina, pruriginoſa: tument labia, pedes, manus et pars, quae iuxta auriculas eſt, tenent totam cutim vlcera lata, inſtructa labiis tumidis calloſis, tactu ſaepe cruentis; aſt indolentia, inprimis in naribus reperiunda. Quas morbi ſpecies alii recenſent,

censent, ab Auctore non verae ſpecies, ſed modo varietates eſſe dicuntur. Cauſſa morbi ex mente Auctoris vermis eſt, ob ſimilitudinem cum *Gordio* verme, *Gordius marinus* dictus, in *Clupeae Harengi* carne et viſceribus potiſſimum repertus, ſetae craſſitudinem habens, albusque colore. In opinione hac Cl. Auctor confirmatur ipſis aliorum Auctorum, qui aliorum marinorum animalium, v. g. phocarum, vſu malum hoc gigni credunt, ſententiis; ipſa illa hypotheſi, qua inſecta morbis contagioſis originem praebere aſſeritur, et quae exemplis medicorum, mercurialibus huiusmodi morbos curantium, a Noſtro corroboratur; maxime autem Cl. MARTINI et S. R. STROEMII auctoritate; iis denique argumentis, quod Harengus a verme illo quam rariſſime ſit immunis; quod ipſe iſte vermis in Harengi carne in ſpiram contortus tuberculum, tuberculis leprae analogum, faciat; nec vnquam in tubo inteſtinali ſedem habeat. Huic cauſſae morbi curationem, a Londinenſibus inuentam, maxime adaptatam eſſe arbitratur Cl. Auctor, eiusque rationem, methodo veterum, viperarum iuſculum ſuadentium, ob pharmacopolarum, loco viperae verae *Colubrum Berum* exhibentium, fraudes reiecta, et mercurialium in vermibus enecandis inefficacia declarata, vna cum Cl. RVSSELII methodo, tradit. Londinenſes autem iubent, vt aegrorum corpora, ad vermem e ſede ſua eliciendum, acribus penetrantiſſimis calidis oleis inungantur; aegri ipſi autem, medicamentis purgantibus, ad vermem penitus expellendum interpoſitis, magnam aquae marinae, elementi vermiculo proprii, copiam ſumant.

132) *Fundamenta ornithologica*, Reſp. *Andrea Petr. Bäckman.* d. 4. mai. 1765. p. 109.

Tradita hiſtoria litteraria ornithologorum, ſigna auium diagnoſtica ſuccincte enarrantur, explican-

tur et iconibus illuſtrantur. Breuiter etiam anatomia auium tangitur; deinde vero externae partes, e quibus ſigna deſumenda ſint, exponuntur, atque ita terminologia ornithologiae, exemplis illuſtrata, tironibus egregia traditur, quam hic repetere ſuperfluum ducimus. Muſculis ſternum in auibus robuſtiſſimis eſt praeditum. Alarum in os brachii, oſſa duo cubiti, duo carpi, duo metacarpi, et digitum vnum, pedumque diuiſionem ex ſyſtemate LINNAEI notam fore iudicamus. Quoad veſtitum *pennas* nominat Cl. Auctor maiores, quae ſquamarum in modum imbricatae corpus ſeruant, *plumas* breviores, lanae inſtar, corpus fouentes. Colores variant, conſtantiores in remigibus, rectricibusue: hinc differentia ex his ſpecifica deſumenda. Tum de hiſtoria auium agitur, legesque, quae in deſcriptione ſint adhibendae, traduntur. Menſuram geometricam inutilem iudicat Auctor in ornithologia. In ordinibus naturalibus nondum certos poſitos eſſe limites fatetur. Denique vſum auium naturalem, diaeteticum, et oeconomicum exponit.

p. 129. 133) *Fundamenta entomologiae*, Reſp. *Andrea Iohann. Bladh.* d. 14. iun. 1767.

Eodem, quo prior, ordine haec diſſertatio continet ea, quae ad cognitionem ſyſtematicam inſectorum ſunt neceſſaria. Addunturque obſeruationes, naturam inſectorum illuſtrantes, terminisque in ſyſtemate naturae indicatis explicationes ſubiunguntur: ſufficiet itaque quasdam modo hic repetere obſeruationes. Cerebro et ſenſibus certis carent inſecta; antennis vero cauis, tubuloſis, ſenſum percipiunt nobis incognitum. In cornea *Papilionis* 17325 lentes Cl. PVGETT, in *Muſca* 800 LEVWENHOEK obſeruauit. Coitus in inſectis eſt peculiaris, in *Libellis* et *Araneis*. Inſectorum in ſocietate viuentium mares a neutris, peracto coitu, interimun-

interimuntur; *Formicae ceſpitum* autem ſub nuptiis ſedem priorem ſponte deſerunt, et ſuo quaeque loco nouam condit familiam. Synonymia Auctorum et LINNAEI, quoad genera, paucis attingitur; ſed deſunt multa Auctorum generica nomina, neque ipſius additum eſt Auctoris nomen. Adduntur rationes nominum triuialium condendorum, ab Ill. LINNAEO in ſyſtemate naturae obſeruatae.

134) *Fundamenta agroſtographiae*, Reſp. *Henr. Gahn.* d. 27. iun. 1767. p. 160.

Praemiſſa generali tractatione, quae hiſtoriam graminum, affinitatem eorum cum aliis plantis, e. g. *Iunco*, *Carice*, concernit, naturalem quendam, vt vocat, a ſtatione ſeu loco natali deſumtum ordinem proponit Cl. Auctor, ſecundum quem commode diſponi poſſint. Capite ſecundo hiſtoriam litterariam tradit eorum, qui ſpeciatim de graminibus ſcripſerunt, variorumque methodos ſyſtematicae diſpoſitionis graminum enarrat et diiudicat. Capite tertio terminos artis explicat, et capite quarto methodum nouam cum lectoribus communicat, a figura numeroque calicis et corollae deſumtam, cuius rei illuſtrandae cauſſa in tabulae aenea adiecta florem ex ſingulo genere addidit. Diuidit vero omnia gramina in tres claſſes, et oſtendit, eſſe ea vel *ſpicata*, vel *paniculata*, quibus addit *calamarias*; *ſpicata* iterum diſtinguit in *proprie ſpicata*, quorum flores ſeſſiles denticulis inſident excauatis, ſeu rachin habent dentatam: et in *improprie ſpicata*, quibus flores ſunt ſeſſiles quidem, ſed vagi, ſeu absque denticulis ſubiectis. *Paniculata* floribus pedicellatis ſunt inſtructa. *Calamariae* denique calice vni- vel quinqueualui, in amento poſito, corollaque nulla ab illis facile diſtinguuntur, ac ad has refert *Cyperum*, *Caricem*, *Eriophoron*,

phoron, *Scirpum et Schoenum*. In paucis cum a calice et corolla sufficientes characteres desumere non posset, eos a numero situque staminum repetiit, vt in *Zizania*, *Oryza* etc. Quaedam vero gramina, quoniam quam maxime sibi propinqua sunt, singula vlterius examinauit, et nouas characteristicas notas constituit; quae partim genera, partim species, nimis affinia accuratius definiunt.

p. 197. 135) *Varietas ciborum*, Resp. *Adolph. Frid. Wedenberg.* d. 18. dec. 1767.

Variorum ciborum vsum, licet saepe minus bene ordinatum multis morbis originem praebere concedat, probetque veterum exemplis; natura tamen, vt ait, duce, commendat Cl. Auctor. Observationum, quibus cibum simplicem nocere demonstrat, haec attentione digna est, qua nobilis quidam Anglus, teste LOBELIO quotidie oleracea comedendo, ad sobolem propagandam ineptus factus esse dicitur.

p. 214. 136) *Feruidorum et gelidorum vsus*, Resp. *Carol. Ribbe.* d. 12. iun. 1765.

Et feruidorum, naturalem corporis calorem excedentium, ad quae theae, coffeae et chocolatae potum, panem e fumo calentem, oryzam coctam calidam, botulosque et farcimina potissimum refert; et gelidorum, minori, quam naturalis est, calore praeditorum, quibus inprimis glaciem arte factam, ostreas frigore induratas, potumque cerevisiae in cellis, ad dimidium glacie repletis, frigefactum, a Suecis *Iskällare-Drika* dictum, annumerat; abusum noxium, rectum vsum salutarem esse, copiose demonstrat Cl. Auctor.

p. 236. 137) *Potus Theae*, Resp. *Petro C. Tillaeo.* d. 7. dec. 1765.

Variis de dubia vocis theae origine, de botanica plantae consideratione, de eius patria, de vsu foliorum

foliorum eius, atque modo ea praeparandi, nec non de nimiis Auctorum in theam laudibus, praemissis, eorumque, quae loco foliorum theae a variis commendata sunt, recensione facta, ipsius theae vis attenuans et exsiccans cum in vniuersum, tum sigillatim, variorum corporis affectuum ratione habita, demonstratur. Enarratur deinde, curante honestissimo Nauarcha EKEBERGIO, cum multa antea frustra facta essent tentamina, tandem factum esse, vt verae plantae semina, in China ab Illo recenter collecta, terraeque in vasis immissa, Vpsaliam translata essent, vbi iam duae plantae laete crescunt; ibique eas solum deprehendi monet Cl. Auctor. Fruticem eum, quem in Europae hortis monstrare soleant, eumque, quem Abbas GALLOVIVS Gallorum regi ex China obtulerit, a vero frutice valde differre putans. Adiecta est etiam tabula aenea, *Theam Boheam* referens.

138) *Potus Chocolatae*, Resp. *Anton. Hoffmann.* p. 254. Reg. Colleg. med. Syndico, d. 18. maii 1765.

Tribus chocolatam praeparandi methodis expositis, eorumque, quae illam ingrediuntur, consideratione facta; ipsa potus chocolatae vtilitas, in corpore sano bene nutriendo, aegroque, quod morbo vel extenuante, vel hypochondriaco, vel haemorrhoidali, affectum est, curando, demonstratur.

139) *Spiritus frumenti*, Resp. *Petr. Bergio.* d. 19. p. 264. dec. 1764.

Liquoris huius, Villae nouae ao. 1315, vt videtur, inuenti, virtute, ad BOERHAAVII mentem exposita, et modo, quo praeparatur, declarato: varias quidem salutares vires ei inesse; eum tamen, humores coagulando, fibrasque fragiliores reddendo, valde nocere, copiose ostenditur. Observationum relatarum has recensemus. Calculosi

vsu

vſu ſpiritus frumenti, cum coffeae potu mixti, ſani facti ſunt. Nutrix ieiuno ventre liquorem iſtum aſſumens, et poſtea lac infanti praebens, fecit, vt infans conuulſiuis periret motibus.

p. 282. 140) *Menthae vſus*, Reſp. *Carol. Guſtau. Lauria.* d. 13. iun. 1767.

Poſtquam Cl. Auctor de antiquitate plantae, vocis *Menthae* origine, botanica plantae conſideratione, iis plantae ſpeciebus, quae ſalutari vi praeditae in pharmaceuticis officinis, inprimisque in Suecicis, aſſeruari ſolent, variisque medicamentis ex planta praeparatis fuſius egit: eiusdem vim reſoluentem, et neruinam, ſiue ructatricem, ineſſe, eamque, vulneratis quidem noxiam; in innumeris tamen malis, v. c. ſurditate, calculo, aſthmate, vomitu e. ſ. p. vtilem eſſe, oſtendit.

p. 293. 141) *Purgantia indigena*, Reſp. *Petr. Strandmann.* d. 26. febr. 1766.

Variis de neceſſitate aluum purgandi, et hac in re pauperum gratia exoticis indigena praeferendi medicamenta, praemiſſis: aliquas purgandi vi praeditas indigenas plantas recenſet Cl. Auctor. Quarum prima claſſis eas continet, quae ſponte creſcunt; in his ſunt: cortex frangulae, baccae cerui ſpinae, herba lini purgantis, folia et radix eupatorii, ſemina et flores geniſtae, flores acaciae noſtratis, cortex berberidis, lichen aphthoſus, vomitoriam cum purgante vi coniunctam habens, lycopodium, radix polypodii, thalictri et violae. In altera claſſe, quae eas, quae in hortos illatae ibi ſine cultura creſcunt, comprehendit, ſunt: herba gratiolae, radix aſari Europaei, rhei palmati, et mirabilis longiflorae, tandemque momordica elaterium, in reſina et extracto efficax.

p. 311. 142) *Siren Lacertina*, Reſp. *Abrahamo Oſterdam.* d. 21. iunii 1766.

Deſcribit

Deſcribit atque icone depictum offert nouum amphibiorum genus, quod, cum branchias pulmonesque ſimul et pedes vnguiculatos habeat, quartum huius claſſis ordinem *meantium* conſtituat. Hinc huius amphibii genericus character eſt: *Branchiae* extra corpus, *corpus* caudatum, *pedes* vnguiculati: cauda eſt lacertis ſimilis, vnde nomen triuiale. Deſcriptum delineatumque etiam eſt hoc amphibium a Cl. ELLIS *).

343) *Metamorphoſis humana*, Reſp. *Ioh. Adolphus Wadſtrom.* d. 16. decembr. 1767. p. 326.

Ipſum hominem tempore quam maxime mutari, cum quoad formam, ſtructuram, vires et ingenium, tum ratione habita anatomiae, phyſiologiae, diaetae, morborum, et medicinae hac diſſertatione Cl. Auctor ingenioſe oſtendit. Atque primo comparat tempora diei annique, cum temporibus aetatum: omnibus duodecim ſtadia tribuit, poſitis e maxime conſpicuis in rerum natura mutationibus terminis. Poſtea vberius mutationes hominis ex his variis aetatis temporibus enarrat, atque tabula easdem offert, ita, vt attendat ad calorem, robur, motum, appetitum, affectum, animum, ſcientias, functiones, ſermonem ac venerem. Denique comparat iuuentutis ſenectutisque diuerſitatem et ex forma ſtructuraque corporis, et ex mentis indole manifeſte apparentem.

144) *Cura generalis*, Reſp. *Ioh. Gabriel Bergmann.* d. 10. dec. 1766. p. 345.

Commentatur Cl. Auctor in primam partem clauis medicinae Ill. LINNAEI, qua de ſubſtantia corticali C. H. agitur. In rerum non naturalium (excipiuntur autem animi affectus) abuſu morborum cauſſas ponit, et ex quinque ſaporis ſpeciebus remedia hisce morbis contraria diiudicanda eſſe cenſet,

*) vid. philoſoph. Transactions Vol. 56. p. 189. t. 9.

cenſet, ea, quae odore ſe produnt, in alteram C. H. partem, medullarem nempe, tantummodo agere, autumans. Quae res quo magis perſpicua fiat, adducamus ea, quibus mentem ſuam exponit. Contendit autem partibus iis, quae ob nimias excretiones, ſi fluidae, denſiores; ſi ſolidae, torridae; aquoſa diluendo et humectando: iis, quae ob retinendi vitium, ſi fluidae, iuſto fluidiores; ſi ſolidae, humidae, ſicca abſorbendo et roborando: iis, quae ob nimium motum, ſi fluidae, phlogiſticae; ſi ſolidae, tenaces; acida refrigerando et attenuando: iis, quae ob nimiam quietem, ſi fluidae, acidulae; ſi ſolidae, tenerae; amara acorem arcendo tonicamque vim reſtituendo: iis, quae ob vigiliarum exceſſum, ſi fluidae, acres; ſi ſolidae, macilentae; pinguia obtundendo et emolliendo: iis, quae ob nimis dormiendi vitium, ſi fluidae, oleoſae; ſi ſolidae, pingues; ſtiptica pinguedinem imminuendo: iis, quae ob famem, ſi fluidae, parciores; ſi ſolidae, graciles; dulcia edulcorando et incraſſando: iis, quae ob voracitatem, ſi fluidae, plethora peccantes; ſi ſolidae, turgidae; acria incidendo et corrodendo: iis, quae ob aeris frigus, ſi fluidae, muriaticae; ſi ſolidae, rigidae; mucoſa inuoluendo et lubricando: iis denique, quae ob aëris calorem, ſi fluidae, glutinoſae; ſi ſolidae, fluxae factae ſunt, ſalſa penetrando et abſtergendo magnam afferre vtilitatem.

p. 370. 145) *Vſus muſcorum*, Reſp. *Andr. Henr. Berlin.* d. 17. dec. 1760.

Poſtquam Auctor Cl. illorum, qui praecipue cognitioni muſcorum operam dederunt, inter quos DILLENIVS eminet, mentionem fecit, locaque natalia eorum generaliter commemorauit: ad vſum, quem habent muſci, lichenes, congeneresque plantae, declarandum, progreditur. Tegunt vero terram,

rum, qui primus eſt vſus, ne aeſtate iuniores plantae a ſolis ardore areſcant, ne hieme a frigore radices plantarum deſtruantur. Qualem vero in arboribus, quibus adhaerent, habeant vſum, determinare non audet Noſter. Quod ad ſpecialiorem attinet vtilitatem, ex itinerariis patet, Lappones inprimis, quorum ſyluae et agri muſcis abundant, iis, inprimis *Lichene rangiferino*, pro nutriendis *Cerui Tarandis* vti, quorum lacte, inde parato caſeo, ac carne veſcuntur; *Polytricho* porro, quod vrſus ad lectum, ſibi per hiemem dormituro ſternendum colligit, Lappones lectum et ſtragula conficiunt; *Sphagno paluſtri* iidem infantes ſuos molliter fouendos inuoluunt, quoniam linteis et pennis deſtituuntur. E *Lycopodio* in Suecia ſtoreas parant, *Bryo hypnoide* culcitras replent: *Fontinalis antipyretica* in fornacibus vel caminis prope parietes collocata, igni tam fortiter reſiſtit, vt rupto camino nulla ſit extimeſcenda exuſtio. *Bryum rurale*, tecta, inprimis ſtraminea aedificiorum, copioſe occupans, per multos annos putredinem, ab iis humiditatem abſorbendo, arcet, quamquam id a multis negatur. Galli *Lichene parelle* ſerica tingunt colore rubro: *Lichen roccella* ſiue *fuſiformis* ab incolis Africae et inſularum Canariarum ad eosdem vſus colligitur. *Lichen pulmonarius*, pectoris morbis mederi dicitur, et vſnea cranii humani, *Lycopodium clauatum* cet. a veteribus nimis ſuperſtitioſe adhibita ſunt; interim tamen non negandum eſt, vires medicas quibusdam vere ineſſe: ex recentiorum enim obſervatis conſtat, *Lichenem pulmonarium* in ictero magna cum vtilitate adhiberi. Auricula Iudae, antea *Tremellae*, nunc *Pezizae* ſpecies *), aduerſus anginas et ophthalmias frequenter vſurpatur. Puluerem antilyſſum,

*) vid. Linn. Syſt. ed. XII. T. II. p. 725.

tilyſſum, vt vocant Angli *), ex Lichenis canini ʒij et Piper. nigr ʒj. compoſitum, nec non lichenem ſolum contra rabiem et hydrophobiam maxime commendant. *Muſcus cumatilis* vi gaudet inſigni purgante et anthelmintica. *Lichene Islandico* contra phthiſin vtuntur Sueci, dum exinde parant pulmentum cum lacte, non ingrati ſaporis, abiecta tamen prima coctionis aqua, ne purget. *Lichen iuniperinus* a Suecis in ictero vſurpatur, et *plicatilis* haemorrhagiam narium ſiſtere dicitur; ex quibus luculenter patet, nec vſu medico deſtitui muſcos.

p. 385. 146) *Mundus inuiſibilis*, Reſp. *Ioann. Carol. Roos*, d. 6. mart. 1767.

Continentur in hac diſſertatione cogitata quaedam de praeſtantia corporum naturalium minimorum, quae oculos vel fugiunt, indeque per microſcopia tantum conſpici poſſunt, vel quae vulgus non obſeruat, aut exiſtere nouit. Diuidit itaque eam Cl. Auctor in duo capita, in quorum primo notiora, ſed nuper detecta, in altero obſcuriora, futurorum poſthac hominum induſtriae committenda, conſiderat. Inquirit deinde in corallia et iis analoga, quae pro veris animalibus cum ELLISIO habet; in generationis deinde negotium omnium fere corporum naturalium, quatenus per microſcopia detectum eſt; porro in polyporum ſtructuram et inſectorum, et hic potiſſimum praeſtantiam microſcopiorum bene demonſtrat. Vſtilaginem *Hordei*, *Tritici*, ita vt farinam *Lycoperdi*, *Agarici* aliorumque fungorum vera oua animalium eſſe putat, id quod experimentis cum iis inſtitutis comprobat; qua de cauſſa dubitat, vtrum fungi ad vegetabilia, an ad animalia referri debeant? an polypi huc ſpectent; vel annon nouum regnum naturae

*) vid. Act. Lond. Vol. 20. p. 237.

turae formari debeat, quod neutrum ſeu *chaoticum* vocandum ſit? Haec et plura alia diſquiſitioni vltiori poſterorum committit.

147) *Uſus hiſtoriae naturalis*, Reſp. *Mattheo* p. 409.
Aphonio. d. 17 mai. 1766.

Oeconomicam rem, agriculturam, hortorum, ſiluarum, nec non pratorum culturam, reſpectu imprimis habito ad plantas, ibi ſponte creſcentes, et ad rem pecuariam, non accurate poſſe et addiſci, et coli, neglecto hiſtoriae naturalis ſtudio, argumentis et experientia clare oſtendit huius diſſertationis Cl. Auctor. Declarat porro, quibus animalia quadrupeda nutrienda ſint herbis, quaeque iis vtilia ſint, quae noxia, ex omni naturae regno, abunde docet. Tranſit deinde ad aues, animalia aquatica, inſecta, eorumque indolem diuerſam ac conditionem diſquirit, nec non plantas, inſectis variis infeſtas, enarrat, inter quas eminet *Cimicifuga foetida*, cuius etiam iconem adiecit.

148) *Neceſſitas hiſtoriae naturalis Ruſſiae*, Reſp. p. 438.
Alex. de Karamyſchew. d. 5 mai. 1766.

Hiſtoria quaſi litteraria ſtudii corporum naturalium tradita, peregrinatores, inprimis eos enarrat, qui itinera ea de cauſſa in varias partes regni Ruſſici inſtituerunt, et ſcriptis inclaruerunt. Oſtendit deinde, multa adhuc eſſe in hoc regno ignota, quae digna ſint, quod detegantur. Nominat eapropter animalia, amphibia, piſces, et vegetabilia, vel obſcure deſcripta, vel plane incognita: ex quibus omnibus omnino colligendum eſt, magnum vſum exinde in incolas huius regni eſſe redundaturum, ſi ſtudioſius colant hiſtoriam naturalem. Coronidis loco addit floram Sibiricam, ſecundum ſyſtema Linnaeanum diſpoſitam, et iconem *Fumariae ſpectabilis*, quae in Sibiria creſcit, nec antea ab vllo delineata fuit.

149) *Rariora Norwegiae*, Reſp. *Henric. Tonning.* d. 27. febr. 1768.

p. 466. Laudat Cl. Auctor ſub initium diſſertationis eos, qui in Norwegia res, ad regna naturae ſpectantes, inprimis diſquiſiuerunt, et litteris mandarunt: quo facto deinde rariora et vegetabilia, et animalia commemorat, quae ei notatu digna in Norwegia viſa ſint. Diuiſit plantas in Norwegicas, quae vix vel nunquam in Suecia proueniant; in Islandicas, Alpinas, et marinas, quibus addit fructus nonnullos Americanos, qui ad oras maritimas Norwegiae quotannis fere reiiciuntur. Animalia mammalia diuidit in alpina et aquatica: quem ordinem in piſcium, auium, ac reliquorum animalium enumeratione etiam ſemper obſeruauit. Addit poſtea plantas officinales, quae in Norwegia ſponte proveniant: deinde morbos maxime ibi vulgares, lepram ſcilicet, et colicam Lapponum, quam a *Faſciola nigra*, in aquis alpinis, quas ibi bibunt, habitante, oriri autumat. Vltimo denique loco characterem plantae, *Gunnera* dictae, accurate deſcribit.

p. 497. 150) *Iter in Chinam*, Reſp. *Andrea Sparrmann.* d. 30 nov. 1768.

Tota haec diſſertatio diarium fiſtit itineris, quod Cl. Auctor cum Cl. ECKEBERG, nauarcha regis Sueciae in Chinam ſuſcepit, et catalogum corporum naturalium, quae in hoc itinere detexerunt: cuius deſcriptionis lectionem iis commendamus, qui eiusmodi rebus delectantur; cum nobis, breuitatis ſtudioſis, tantummodo eam nominare ſufficiat.

II.

An Eſſay on Diſeaſes incidental to Europeans in hot Climates. With the method of preventing their fatal conſequences. By JAMES LIND, Phyſician to his Maieſty's Royal Hoſpital at Haſlar near Portſmouth, and Fellow of the Royal College of Phyſicians in Edinburgh. To which is added an appendix concerning intermittent fevers. To the whole is annexed, a ſimple and eaſy way to render ſalt water freſh, and to preuent a ſcarcity of prouiſions in long voyages at ſea. — London: Printed for T. Becket and P. A. de Hondt. MDCCLXVIII. 8. maj. p. 348.*)

i. e.

Tentamen de morbis, quibus Europaei in climatibus calidioribus exponuntur; ſubiuncta methodo funeſtos horum effectus praeuertendi, Auctore IACOBO LIND. Accedit appendix de febribus intermittentibus, et ſimplex ac facilis modus, aquam ſalſam depurandi, et inopiam alimentorum in longis itineribus nauticis praecauendi.

Clariſſimus Auctor, cuius merita in hanc doctrinae medicae partem multo clariori iam luce expoſita quiuis nouit, quam, quae noſtris laudibus indigeant, praeſentem librum eo conſilio edidit, vt

*) IACOB LINDS *Verſuch über die Krankheiten, denen die Europäer in heiſſen Climaten unterworfen ſind, nebſt der Methode ihren gefährlichen Folgen vorzubeigen, Riga bey Harıknoch*, 1773. 8.

commentarii, aut ſi mauis, ſupplementi loco inſeruiret alii, de quo ad Lectores noſtros retulimus in ſuperioribus *). Poſtquam igitur in introductione de damno diſſeruit, quod ex male ſuppoſitis cauſſis morborum exterarum orbis terrae partium in tot millia hominum redundauit: docuitque, nec immoderatos corporis motus, nec exceſſus in alimentis aut potulentis, nec in quocunque alio diaetae capite, ſolos et per ſe ſufficere ad producendos vel fouendos epidemicos illarum regionum morbos, ſed non, niſi praediſponentes cauſſas ſiſtere, maiusque momentum ponendum eſſe in deprauata hinc inde ſoli conſtitutione: hisque notionibus vniuerſalibus quaedam de varia notione, diuiſione ac denominatione febrium, a variis Auctoribus adhibita, ſubiunxit: in parte prima de diverſis morbis, diuerſis regionibus prae ceteris propriis, agit, ita quidem, vt in capite primo morbos Europae et Americae ſeptemtrionalis, in ſecundo Africae, in tertio Indiae orientalis, et in quarto Americae meridionalis contempletur.

Primo de morbis Europae. In Anglia per annos 1765 et 1766 morbus epidemicus varias regiones infeſtauit, autumnali praeſertim tempore, febrem ſiſtens remittentem, bilioſae indolis, quae diutius ſubſiſtens vel in hydropem, vel icterum, vel vtrumque degenerabat, interdum etiam ſcabie ſicca, per totum corpus erumpente, terminabatur: cephalalgia pertinax frequentiſſimum et moleſtiſſimum ſymptoma erat, quod veſicatorio, nuchae impoſito, optime tollebatur: remiſſio praeſtabatur grano dimidio

p. 19.

*) An Eſſay on the moſt effectual means of preſerving the health of ſeamen in the royal navy, London 1757. 8. 2d. edition. 1762. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 482.

dio tartari emetici cum paucis granis nitri, ſexta quaque hora exhibito; quamprimum autem febris remittebat, largus corticis Peruuiani vſus, interpoſitis, pro re nata, vomitoriis et purgantibus, requirebatur. Cauſſam huius morbi Cl. Auctor in Euro, qui per inſolitum temporis ſpatium anno 1765 flauit, accedente ingente calore aeſtiuo et effluuiis putreſcentibus aquarum ſtagnantium, ponit: quandoquidem in multis Angliae regionibus Eurus vapores ex aquis eleuat, vel oculis patentes, qui thermometro aeque, ac corpori animali inſignem frigoris gradum imprimunt.

Clariſſimus DE WIND, qui opus Noſtri de conſervandanautarum ſanitate in Belgicum idioma tranſtulit, epidemiam bilioſam, quae quotannis ineunte autumno Middelburgi graſſatur, maxime quum calidior aeſtas anteceſſit, deſcripſit, in principio febrem continuam cum vomitu bilioſo ſiſtentem; poſt tertium vero vel quartum diem in tertianam duplicatam mutatam, indigenas decimo quarto circiter die relinquentem, peregrinis diutius moleſtam; hanc epidemiam excipiunt dyſenteriae, et ſub finem octobris diſpoſitio morboſa multum miteſcit, niſi quod ii, qui antea febre laborarunt, interdum tertiana ſimplici, ſed mitis indolis, afficiantur. Bilioſae febres emetico in principio adminiſtrato, et poſtea praeſertim refrigerantibus optime curantur; tertianae autem menſis octobris neceſſario cortice Peruuiano indigent. p. 28.

Paucis de morbis aeſtiuis Hungariae et Campaniae Romanae monitis, morbi epidemici mentio fit, qui quotannis a iunio in ſeptembrem vſque in Sardinia graſſatur, febrilis ex genere remittentium vel intermittentium, corticis Peruuiani vſum efflagitans; ſed omnium optime mutatione aeris p. 32.

debellandus: ad quam insulam cum nauis quaedam Anglica appulisset, quotquot ex ea in insulam transierunt, morbo hoc affecti sunt, et ii quidem periculosissime, qui in littore dormiuerant, reliquis omnibus sanis permanentibus. Tenendum autem est, solum huius insulae per se admodum insalubre esse, ipsumque ideo iam Romanorum tempore pessime audiisse; multo etiam minore incolarum numero gaudere, quam vicinam, minoris licet ambitus, Corsicam.

p. 35. De morbis Americae septemtrionalis. Canada regio satis salubris est, in qua febres neruosae, biliosae et intermittentes vix cognitae sunt, nullis ibi morbis obuiis, nisi veris inflammatoriis, a frigore inductis. Terra noua (*Newfoundland*) et Halifaxia ob salubritatem maxime commendantur, adeo, vt, qui ex priore regione autumno in Angliam reuertantur, robustiores et saniores redeant, quam illam reliquerant. Noua Anglia ratione climatis Angliae ipsi similis est. Sed quo magis meridiem versus iter dirigimus, eo magis insensum exteris solum et caloris atmosphaerici gradum deprehendimus: huc ergo pertinent Marilandia, Virginia, Carolina meridionalis, in qua aeque, ac in Georgia et Florida orientali per iulium et augustum febres anomalae multum inter exteros grassantur; porro Pensacola, et omnium maxime Mobila.

p. 40. In Africa Algerienſe, Tunetanum, Tripolitanum et Maroccanum regnum, ne huius quidem maxime australi parte excepta, saluberrime sita sunt; longe autem alia Aegypti est ratio, quae regio plana ac depressa, inundationibus Nili obnoxia et desertis arenosis cincta, non potest non insalubris esse:

ex

er quibus deſertis venti calidi medio aprili flare incipiunt, qui per 30 vel 40 dies ſubſiſtunt, et morbos a maio vſque in ſeptembrem perdurantes producunt.

Guineae partem mediam Europaei nondum cognoſcunt; ſed littora eius, ſiſtunt regionem planam, perpetuo viridem, nebulis craſſis, quauis nocte decidentibus, obtectam, riuulis inundatam, quorum ripae vegetabilibus in putredinem pronis obſitae ſunt, ingentem foetorem ſpargentibus: quam diu ſol Zenith proximus eſt: in hac regione aeque, ac in reliquis, intra tropicos ſitis, continuae et intenſae pluuiae nimium calorem et peſtiferos vapores, ex terra aſcendentes, temperant. Quum ſol maxime remotus eſſet ab hac regione, decembri 1763, ad fluuium Senegam calor fuit 93 gr. thermom. Fahrenheitiani, et ad montem *Sierra Leona* graduum 98. In his regionibus generatim duae anni tempeſtates ſunt, humida, per quatuor circa menſes durans, morborum, et ſicca, ſanitatis mater dicenda. Vapores quidam nociui, quos *Harmatans* dicunt, id peculiare habent, quod commiſſuras contignationesque aedificiorum ſoluant; quae tamen priſtinam firmitatem recipiunt, quum vapores iſti ceſſarint. p. 43.

Coloniae Anglorum prope fluuios Senegam et Gambiam admodum inſalubres ſunt: ſalubriores, quae ſeptentrionem verſus, ad littora maris ſita ſunt, vt inſula Goderanae, (*Gorée*) regio *Sierra Leona*, caſtella quaedam Anglorum, Belgarum et Danorum in littore auri; aer regionis *Whitha* nociuus eſt, multo magis autem circa ſinum Beninenſem et promontorium Lupi Gonſalii; vrbs S. Paulli in inſula Loanda, metropolis Luſitanorum, tolerabilis eſt; Benguela e contrario pernicioſiſſimae p. 52.

mae indolis; omnium autem ſaluberrima vrbs S. Saluatoris, in collo ſita, regione adiacente a ſylvis et fruticetis liberata.

p. 52. Leuiſſimi ex iis morbis, qui Europaeos in Guinea infeſtant, ſunt colica ſicca et vena Medinenſis; periculoſiores autem ſunt dyſenteriae et febres, quae poſt tempeſtatem pluuioſam graſſari incipiunt, ingredientes cum nauſea et interdum bilis vomitu: adhibito vomitorio omnia ſymptomata leuata, imo prorſus ceſſare videntur; ſed poſt ſex horas vomitus et febris delirio iuncta recrudeſcunt. Tunc vomitorium non tantum, quantum antea, vſum praeſtat; ſed interdum iulapium ex camphora et potiones ſalinae remiſſionem afferunt; et tunc protinus cortex Peruuianus exhibendus eſt. Venae ſectio rariſſime locum inuenit; veſicatoria non, niſi in effectibus comatoſis. Interdum aeger protinus poſt primum inſultum moritur: tunc cadauer colorem icſtericium aſſumit, maculis liuidis conſperſum. Febris inflammatoria vtique rarior hoc loco morbus eſt.

p. 57. Originem morbi verminoſi, quem venam Medinenſem dicunt, in animalculis vel ouis ponendam putat Noſter, quae in aquis fluuiatilibus huius regionis haereant. Ex fluuiis Senega, Gambia et Sierra Leona depromtam aquam in lagenis bene obturatis putrefactam eſſe animaduertit; nullis tamen, neque per microſcopium, neque per examen chemicum detectis inſolitis harum aquarum contentis: ſed eaedem aquae, per quoddam tempus libero aeri expoſitae, praegreſſo quodam putredinis gradu, gratae et ſalubres redditae ſunt: quo ergo auxilio vtendum eſſe cenſet ad praecauendum morbum iſtum. Promtior autem aquam depurandi ratio ea eſt, quam nauis ſubpraefectus quidam, OTSBRIDGE inuenit, quum aqua ex

vno

vno vaſculo in alterum, ſerie vaſorum ſibi impoſita, transfunditur, ita quidem, vt fundus vaſorum foraminibus exiguis inſtructus ſit, quibus aqua, pluuiae ad inſtar, in guttulas admodum minutas dividatur.

Febres et ventris fluxus in hac regione multum inter ſe affinitatis habent; pro conditione autem ſoli inſigniter variant ratione periculi, quod inducunt. Neque ipſi indigenae firma ſanitate gaudent; ſed breue tantum temporis ſpatium viuendo tranſigunt. p. 59.

Cacheo, vrbs Luſitanorum, inſaluberrima eſt tempeſtate pluuioſa, non tantum ob ſolum inundatum, ſyluis denſis vndique ſeptum, indeque pendentem incredibilem aeris peruerſitatem; ſed etiam ob innumerabilem copiam inſectorum, atmoſphaeram multo magis inquinantium; in media hac tempeſtate ex Europaeis, qui nauibus in eum locum appulerant, tertia pars febre remittente neruoſa, vix 48 horas durante, et altera tertia pars dyſenteria vel aliis morbis, huius ſequelis, ictero, hydrope cet. exſtinguebatur, adeo, vt mirandum eſſet, in aere tam peſtifero aliquem ſanum ſubſiſtere vel conualeſcere potuiſſe. p. 61.

Funeſtus fuit error, multis hominibus exitialis, morbos harum regionum inflammatorios eſſe, ideoque venae ſectione praecipue indigere. Solum aduerſus has febres remedium in vomitoriis, veſicatoriis et parca tartari emetici doſi, durante febre, et protinus poſt primam remiſſionem largo vſu corticis Peruuiani poſitum eſt, adeo, vt ſecunda vel tertia quoque hora drachmae duae ex vino exhibeantur, donec ſeſquiuncia ingeſta fuerit, poſtea per 24 horas ſex drachmis datis. Largiores doſes huius remedii ſumme neceſſariae ſunt, ipſeque Cl. Auctor in Anglia per ſpatium minus tri- p. 66.

bus hebdomadibus vncias quatuordecim in ſubſtantia porrexit.

p. 71. Quanta ſit procliuitas Guineae ad producendas remittentes et intermittentes febres, ex recidiuis apparet, quibus ii, qui in Anglia et Belgio pertinacioribus laborarunt, huc delati obnoxii ſunt.

Inſulae Canariae ſalubres ſunt, et iis, qui a regione Senegaliae reduces ſunt, ſanitatem optime reſtituunt: ex inſulis promontorii viridis ſolummodo inſulae S. Antonii et S. Nicolai commendantur: reliquae per tempeſtatem pluuioſam inſalubres ſunt, ſed multo magis inſulae S. Thomae principis, et Ferdinandi Pao. Inſula S. Helenae per totum annum ſalubris eſt; ſic etiam promontorium bonae ſpei. Inſula *Madagaſcar* ſalubris eſt tempeſtate ſicca; inſalubris autem pluuioſa, praeſertim ſinus S. Auguſtini et caſtellum Delphini: idem valet de inſulis *Maſcarenhar*, Mauritii et *Diego Reys*; ſalubrivs autem eſt caſtellum a Gallis in inſula Borbonia exſtructum. Inſula *Mozambique* inſalubris eſt, aeque ac regio Quiloa, quam eam ſolam ob cauſſam Luſitani deſeruerunt: *Melinda* autem ſanitati magis conuenit.

p. 75. Iam de Aſia videamus. Emporia Anglorum, quae Mochae, Baſſorae et Gambroni conſtituta ſunt, periodico morbo quotannis per quosdam menſes afficiuntur. Chinam aliasque huic ſimiles adiacentes prouincias cultura et induſtria ſalubres reddiderunt, praeter id, quod nouembri menſe in regione, ad Cantonem fluuium ſita, febres intermittentes frequentes ſint, abſque tamen periculo. Inſalubres autem ſunt maximam partem inſulae, Indiae orientali adiacentes, Iaua, Nigrorum inſula (*Negrais*), Banda, aliaeque, et omnium maxime Sumatra, quum tempeſtas pluuioſa eſt.

Ex

Ex quatuor Anglorum emporiis, in India ex- p. 78.
ſtructis, Beneuolenſe inſaluberrimum eſt: ſed ad
trium circa milliarium diſtantiam in loco eleuato
ſiccoque exſtructum caſtellum Marleburium ſani-
tati melius proſpicit. Hoc emporium ratione in-
ſalubritatis excipit Bengalenſe, per menſes pluuio-
ſos febribus remittentibus, malignis, putridis,
diarrhoeisque eiusdem indolis, potiſſimum recen-
tibus aduenis maxime infeſtum. In hac regione
multum in his morbis tribuunt influxui lunae,
adeo, vt anno 1762 (qui 30000 nigritis et 800 Eu-
ropaeis in hac regione exitialis fuit) ſub eclipſi lu-
nae febrilem paroxyſmum plurimos inuaſiſſe obſer-
uauerint. Salubrior eſt aer in inſula Bombaia, vt
in toto littore Malabarienſi: ſed vti hoc littus ſa-
lubritate multum vincitur a Coromandelano: ſic
etiam vrbes, Madraſium, S. Dauidis, *Cudelur* et
Negapatnam omnium ſaluberrimae cenſentur. Ma-
nilla, emporium Danorum Tranquebariae, Pon-
cherium et Goa eadem ſalubritate ſe commendant:
Batauiae vero longa alia conditio eſt, quae, in in-
ſula climatis calidi et inſalubris exſtructa, id prae-
terea vitii habet, quod, vrbium in Belgio ad inſtar,
canalibus interſecta ſit; inſalubritatem huius vrbis
variae Anglorum naues triſti euentu expertae ſunt:
Belgae ſummam fiduciam aduerſus febres remitten-
tes, hic graſſantes, in cortice Peruuiano ponunt.
Frequentes etiam ſunt fluxus ventris, putridae in-
dolis, qui, praemiſſis legitimo modo euacuanti-
bus, opiata et diaetam vegetabilem antiſepticam
poſtulant. Sunt autem praeterea etiam morbi in-
flammatorii hepatis cum magna febre ſtipati, qui
venae ſectionem, fotus relaxantes et diſcutientes,
vel veſicatorium, loco dolenti applicandum, requi-
runt; ſimul ac vero febris paullum remiſerit, eua-
cuatis primis viis, protinus vnguentum mercuriale
affe-

affectae parti illinendum, interneque pilulae mercuriales iusto ordine exhibendae, et lenior saliuatio per 15 ad 20 dies sustinenda: quo auxilio neglecto, hepar suppurationem subit et aeger moritur.

p. 90. Cl. BOGVE morbos, anno 1757 Calcuttae grassatos, describit, qui ingentem in classe Anglorum stragem effecerunt: in paroxysmo febrium putridarum intermittentium camphora optimum remedium erat; extra eum vero, praegressis euacuantibus, cortex Peruuianus aliaque antiseptica imo ob nimiam debilitatem potus spirituosi, iique adeo concentrati, conducebant. Mercurii eadem praestantia erat in morbis hepatis, quam modo memorauimus. Felici quoque cum successu tumorem, ab inflammato hoc viscere ortum; exterius aperuit.

p. 97. Cl. IVES itineris, ex India orientali in Europam per totam Asiam directi, relationem exhibet, annotatis vbique iis, quae ad morborum in hoc illove loco diuersitatem spectant. Gambroni a maio vsque ad septembrem febres putridae intermittentes grassantur, quae paucos intactos relinquunt, et quas saepe obstructiones hepatis sequuntur: exhibito vomitorio, medicamentum ex corticis Peruuiani scrupulis duobus, salis absinthii et radicis serpentariae Virginianae singulorum granis duodecim, quauis hora repetitum, paroxysmi recursum praeuertit, et idem auxilium post aliquot dies iterum in vsum ductum, recidiuam praecauet. Arabes, si a Turcis offenduntur, vindictam sumturi, aggeres, quibus flumen prope Bassoram continetur, perrumpunt, hocque modo tota regione inundata, febrem maxime deleteriam excitant, quae eodem tempore quo Cl. IVES Bagdadi versabatur, in hac vrbe 12 ad 14000 incolarum interfecerat.

Descri-

Deſcriptio venti *Samiel*, ab aliis *Samum* dicti; ſed non, niſi ex ore aliorum petita; cuius quidem infamiam magnopere diluit nuper Cl. NIEBVHR relatio. In vrbe *Moſul*, durante aeſtate, febres ardentes et dyſenteriae, et tempeſtate humida intermittentes febres ſunt; morbi etiam hepatis aeque, ac in India crebro occurrunt: fames et epidemia, hanc inſecuta, multos confecerunt, aeque, ac in vrbe *Niſibin*, quae praeterea ob peruerſam aeris et aquarum indolem ſuſpecta eſt. Ipſe Cl. IVES, in intenſiſſimo caloris gradu iter faciens, percepit proſtrationem appetitus, tormina infimi ventris, deiectiones bilioſas cum inſigni virium iactura, et quidam ex ſociis eius febricitabant, ita, vt leni vomitorio, puluere febrifugo D. IAMES, et parcis calomelis et rhei doſibus opus haberent. Potum ex ſucco limoniorum, cum aqua commiſtum, optime ſibi conuenire experiebatur, ſed veſperi hauſtus vini generoſi ſumme neceſſarius erat: ab omni intemperantia in cibo capiendo ſummopere caueri oportebat. Peregrinantes, ſi fieri poteſt, ſola nocte iter proſequi debent, et tutiſſime quidem in lectica quadam operta, quae *takarauam* dicitur: per diem commorari in tugurio bene munito, vel in ſolo tentorio, ad ripam fluuii, ſi fieri poſſit, exſtructo, parietibus eius perpetuo humidis ſeruatis: praeter vinum etiam opus eſt, vt aluminis ſufficiente quantitate inſtructi ſint ad depurandas aquas Euphratis et Tigris, facile ſitum contrahentes.

In America ſaluberrimus ex iis locis, quae Anglorum ditioni parent, eſt Bermudia inſula, ad quam bonitate proxime accedit inſula barbara (*Barbator*), cuius tamen vrbs capitalis, *Bridgetown*, in ſolo minus ſalubri exſtructa eſt. Inſula S. Chriſtophori ad partem ſalubris eſt, Antigoa inſalubris et p. 108.

et multo magis Iamaica, licet iam quodammodo melior, quam olim: Mons ſerratus et inſula *Nevis* ſalubres ſunt. Noua Anglorum emporia in inſulis Granada, Granadillis et Tabaci, aeque, ac Gallorum in Caienna, inſalubria ſunt: Martinica inſulae S. Dominici praeſtat; ipſa tamen aeque, ac Guadalupa aliaeque Gallorum inſulae, vt et Belgorum emporia Surinami in inſula S. Euſtachii et Curaſſauiae, ſanitati incolarum inſidiantur. Quod ad ditionem Hiſpanorum ſpectat, vrbs Mexicum ſanitati conueniens; portus autem eiuſdem, Vera Crux, eidem infeſta eſt, ſicut paucae vrbes huius regni, ad mare vel fluuios ſitae, ſalubres deprehenduntur. Pluuiam imminentem *Phocae vitulinae*, ingenti copia litora petentes, nubesque ſpiſſae et caliginoſae, ex meridie cum tonitru et fulgure lente aſcendentes praenuntiant: et hanc ipſam pluuiam morbi nauibus Europaeis, ad haec litora commorantibus, funeſti ſequuntur. Praeter hanc vero cauſſam, morbos quoque fouet et auget aer intra montes, ad litora ſitos, qui tutum nauibus refugium praebent, incluſus, ſtagnandoque corruptus. Salubriores tamen ſunt ſtationes in ſinu Hondurenſi et Moſquitenſi, quam ad riuum Carpentarii atque flumen mortuum (*Rio Morte*). Morbi autem, Europaeis adeo funeſti, non ſolum ſaepius iam memorati, febres et alui fluxus ſunt, ſed, praeter hos, inprimis endemius iſte morbus, *the yellow fever:* cuius quidem ſymptomata, quae huius febris characterem conſtituere plerumque dicuntur, diſſolutionem ſanguinis cum procliuitate totius corporis in putredinem, vomitum nigrum cet. non, niſi aduentitia accidentia ipſius morbi putat Cl. Auctor, et frequentius originem eius nimio calori et inſalubritati aeris, quam vitiis diaetae adſcribendam docet, erroremque refutat, morbum hunc

p. 112.

primo

primo ex regno Siamenſi in Americam delatum fuiſſe. Similis huic morbus, ſeptembri et octobri an. 1764, Gadibus ſaeuiit, quo ſaepe per diem centum aegroti periere: quotquot ex nautis nauis Anglicae, tunc in portu Gaditano commorantis, in littus tranſierant, morbo hoc afficiebantur; leuati tamen, quum nauim repetiiſſent, ſicut etiam incolae vrbis, qui, eadem relicta, ruri viuebant, immunes ſe ſeruabant.

Singultus, dyſenteriae regionum calidarum ſuperueniens, funeſtiſſimum ſymptoma cenſeri debet. Cl. DE WIND obſeruationes de Curaſſauia itidem documentum perſpicuum de noxiis effectibus aeris in littore, in quo naues ſtationes ſuas ſeruare tenentur, et de ſalubriori remora in nauibus ipſis praebent. p. 116.

Febris iſta flaua non, niſi mares aggreditur: nomen autem iſtud minus accuratum eſt, quum flauus cutis color fere omnibus febribus intermittentibus, quibusdam contagioſis, aliisque familiaris ſit. Gallici et Belgici medici alia ſubinde huic morbo nomina imponunt; quae vero vix apte ſatis inter ſe comparari poſſunt. Optimam deſcriptionem Cl. ROUPPE exhibuit, quam hic ipſis eiusdem verbis Noſter repetit.

Inſulas, quae *Baſtimentos* vocantur, inſalubres eſſe, olim anno 1726. claſſis Anglica experta eſt, quae primo ſcorbuto, ac poſtea febre iſta endemia aliisque fluxibus inſignem iacturam patiebatur. Iidem morbi anno 1741 Anglis, Carthagenam obſidentibus, perniciosiſſimi fuerunt. Neque minorem iacturum exercitus Anglorum anno 1762 in obſidione Hauanae paſſus eſt, adeo, vt ſeptemdecim cohortes (*bataillons*) non, niſi ſex centos homines, ſeruitio aptos exhiberent. Quum autem huius vrbis maior ſit ſalubritas, quam Carthagenae p. 122.

genae et Curaſſauiae, defectui aquarum, bonae notae, potiſſimum ſtragem hanc adſcribere oportet.

p. 127. Ex his hactenus expoſitis facile ſigna colliguntur, quae regionem quandam inſalubrem eſſe declarant. Sunt illa: ſubita et ingens mutatio aeris ex intenſo calore in intenſum frigus, ſimul ac ſol occiderit; nebulae et vapores denſi nociui, praecipue poſt occaſum ſolis ex vallibus et locis vdis paludoſis, impuris, ſurgentes; inſignis copia inſectorum obuia; caro mactatorum animalium cito corrupta, metalla breui tempore corroſa, cadauera breui foetorem intolerabilem ſpargentia; denique ſolum arenoſum, plerumque ex granis paruis, non cohaerentibus, coloris albi, conſtans, vaporem a calore diurno exhalans letiferum, eandemque qualitatem ventis ſuper eum delatis communicans, quae non, niſi aqua corrigi ſe patitur. Ab his autem

p. 344. ventis diſtingui debent calidi ii venti, a terra accedentes, qui in tempeſtate ſicca per littus Coromandelanum obſeruantur, et a media nocte vſque ad meridiem regnant, vbi venti maritimi refrigerantes eos excipiunt. Quantum effectus eorum adſcribendus ſit locis, per quos tranſeunt, facile apparet, quum iugum montium, quos *Balagatas* dicunt, Coromandelanum et Malabarienſe littus dividat, ita, vt in hoc idem ventus frigidus, in illo calidus ſit; mirandum tamen eſt, aquam, in lagenis incluſam, vento iſti calido expoſitam, tantum frigoris gradum lagenae conciliaſſe, ac ſi ſolutioni nitri immerſa eſſet, quod perpetuae euporationi aquae per parietes lagenae adſcribendum eſt. Idem tamen ventus cauſſa dici debet ſalubritatis littoris Coromandelani, quae per reliquum anni tempus animaduertitur: eadem quoque videtur eſſe ratio, cur peſtis Aegypti, ineunte iunio, ceſſet,

ſet, quo venti calidi periodici ex deſertis Nubiae et Aethiopiae accedunt, priusquam boreas regnare incipiat et Nilus regionem inundet, quibus duabus cauſſis priorem effectum plerumque adſcribere ſolent.

Sunt autem quaedam negotia ab Europaeis in climatibus calidis et inſalubribus peragenda, quae in maximum vitae diſcrimen eos coniiciunt. Huc ſpectant caedendae et eradicandae ſyluae, et ablegatio nautarum in cymbis, non obtectis, poſt occaſum ſolis in terram continentem, durantibus nebulis nocturnis, ad vitae praeſidia in naues deportanda. Prius negotium indigenis ſolis imponendum eſſet. Si vero fieri non poſſit, quin Europaei ad illud adhibeantur, opus eſt, vt per diem aceto vini capiti et naribus applicato, ſe muniant, os eodem ſaepius eluant, ſaliuam non deglutiant, ſed rheum vel aliud amarum maſticent et frequenter exſpuant, et mane ac veſperi infuſo corticis Peruviani, alii et rhei cum ſpiritu vini vtantur. Qui a nebulis nocturnis male habent, protinus igni admoti vomitorium ſumant et ſudorem foueant; ſique febrilia ſymptomata ſubſiſtant, veſicatorio, et accedente intermiſſione largis corticis Peruuiani in vino rubro doſibus, et mutatione aeris ſuccurratur. Melius etiam omnino conſultum foret, ſi, quae nauibus neceſſaria ſunt, ab indigenis ipſis in eas deferantur. p. 132.

Pars ſecunda libri huius primo Europaeis, qui in climatibus calidioribus prope mare degunt, remedia prophylactica praeſcribit. Ex iis, quae iam in medium prolata ſunt, patet, morbos aduenarum in variis climatibus multum inter ſe conuenire, et tantum ratione diuerſorum graduum caloris et humiditatis, et ſpecialius ratione indolis ſoli et ventorum p. 145.

differe: in quauis fere regione tempeſtates eſſe ſalubres, quae peregrinis acceſſum tutum concedant; loca inſaluberrima tamen in vicinia habere alia ſalubriora, quae tutum a morbis et morte refugium largiantur. Sic Goderana inſula ſalubrior eſt emporiis Anglorum ad fluuios Senegam et Gambiam: ex inſulis promontorii viridis inſula S. Antonii reliquis praeſtat. Montes, qui *Sierra Leona* vocantur, in ſummitate aerem purum et ſerenum offerunt, quum profundior regio nebuloſa et noxia ſit. Vrbs *Whydah* a nigritis habitata, ſalubrior eſt caſtello, ab Anglis in vicinia exſtructo, quia ad hoc venti quidem maritimi appellunt, ſed antea ſuper aquam ſtagnantem putridam tranſeuntes. Aer marinus in genere ſanitati conueniens eſt, quod multa exempla probant. Optandum igitur eſſet, vt emporia omnia ad littus maris exſtruerentur: imo ſatis commode ea in nauibus ipſis conſti-
p. 157. tui poſſent (*floating factories*), debita adhibita cura, vt aer in nauibus purus ſeruetur, igne per noctem accenſo, effluuia terrae continentis arcente, qui ſimul deſtillationi aquae marinae inſeruiens duplicem eo modo vſum praeſtaret. Temperantia autem in omnibus diaetae capitibus, et legitimus vſus corticis Peruuiani aliorumque amarorum antiſepticorum accedere omnino debet. Quum autem abſolute in locis inſalubribus degendum eſt;
p. 164. immediata aeris mutatio, qualiacunque fuerint morbi ſymptomata, requiritur: in peruerſo enim aere vel exquiſitiſſima medicamenta vſu deſtitui, multa exempla docuerunt.

p. 170. Aer impurus in regionibus calidis per tempeſtatem pluuioſam potiſſimum ſyſtema neruoſum et primas vias afficit; contentio animi, affectus eiusdem, ac venus, multum morbos hos intendunt, aeque, ac voracitas et ebrietas. Vulnera ſanationi

proxima

proxima in impuro aere recrudeſcunt et protinus in putredinem partium tendunt. Multo magis ii, qui iam aegrotant, aeris impuri funeſtos effectus experiuntur. E contrario, qui iam morbo affecti ſunt, in naues delati breui conualeſcunt, quod inter alia exempla nauium quarundam Anglicarum docuerunt, quae, durante epidemia, Batauiae commorabantur: ſimile exemplum Cl. ELIOT p. 178. anno 1764 Neapoli obſeruauit, quum haec vrbs, fame enormi praegreſſa, febre putrida afficeretur.

Iiſdem rationibus innixus Cl. Auctor ſuadet, p. 182. vt in vicinia emporiorum in calidis regionibus, ſaltim per tempeſtatem, morbis fouendis aptam, navis in iuſta a littore diſtantia collocetur, quae aegrotos, noſocomii ad inſtar, excipiat (*infirmary ſhip*), omnibus iis obſeruatis, quae ad puritatem, aquae bonitatem, aerem ventilatione renouandum, et ſufficientem copiam piſcium recentium, quorum vſus inſignis eſt in eiusmodi morbis, pertinent. His remediis coniunctim in vſum vocatis, nullum dubium eſt, corpora ſenſim peregrino climati aſſuefieri et multorum vitam conſeruari poſſe.

Iis vero, qui in mediis regionibus calidioribus p. 192. viuunt, alia auxilia ſuppeditanda ſunt; mutatio nimirum aeris, quum tempeſtas morboſa ingruit, aeque locum habet, quam in littore maris. Hac occaſione fuſius Cl. Auctor declarat, nullam facile regionem, licet ſaluberrimam, eſſe, quae non loca quaedam ſanitati aduenarum infeſta offerat, et vice verſa. Prius inſula Vectis (*Wight*) docet, in qua oppidum quoddam, *Brading*, febribus intermittentibus obnoxium eſt: ſic inſula S. Chriſtophori locum decliuem, (*Baſſe-terre*) et Barbara (*Barbados*) metropolin *Bridgetown*, inſalubrem certis anni temporibus offert. Secundum illuſtratur pluribus exemplis: in Antigoa mon-

tes elatiores, praeſertim is, qui monachorum collis (*monks-hill*) dicitur; in Guadalupa pars quaedam; in Dominica ea pars, quae prope colles ſita eſt; in inſula S. Iacobi vrbs S. Dominici; in Florida occidentali, varia loca elatiora ſalubritate ſua ſe commendant. Braſilia ſaluberrima eſt. Calor non a propiore diſtantia ab aequatore dependet, ſed pro maiore vel minore eleuatione ſoli, ipſius indole, et prout magis, vel minus perflatui expoſitum eſt, variat. Eaedem quoque cauſſae in corpora humana multum influunt, quod norunt, qui in Africa nigros, pro mancipiis inſeruituros, coemunt.

In Arabia montes, Perſiam et Turcomaniam verſus ſiti, tutum aduerſus calorem aeſtiuum refugium praebent. In Sumatra Marleburium et Sillebaria; in Bengala Baraſata et Garatta; in Iaua montes in interioribus ſiti, et propius diſſita loca *Cerebon*, *Samaring* et *Taniapour;* in Bombaia loca eleuata, prope vrbem huius nominis ſita; prope Madraſium mons S. Thomae idem auxilium praeſtant.

p. 203. Poſſeſſiones Anglorum in America itidem locis ſalubrioribus in regionibus inſalubrioribus gaudere, ex inſulae Iamaicae exemplo patet, quam catena montium ab oriente verſus occidentem tranſit, ad quorum latus aer temperate frigidus inſigne ſanitatis praeſidium ſubminiſtrat.

p. 224. Poſtquam ad varias obiectiones reſpondit Cl. Auctor, varia conſilia ſuppeditat, eo tendentia, vt vitae tot Europaeorum, quibus calidum, Guineae inprimis clima exitiale eſt, parcatur. Primo Luſitanorum exemplum ſequi ſuadet, qui iuniores indigenas ſollicite educant, et variis artibus, ipſisque adeo ſacris litteris inſtruant; hos autem ipſos, ſi meruerint, iiſdem honoribus ac priuilegiis, quibus Angli gaudent, ornandos eſſe monet. Porro primariam ſedem atque caput emporiorum in Ba-

nanae

nanae insulis, haud procul a *Sierra Leona* dissitis, exstrui debere, quippe quae locum sistant saluberrimum totius huius regionis; reliquis ad Senegam et Gambiam non, nisi per siccum anni tempus salutatis. Porro loco integrarum legionum, ex ciuibus Angliae compositarum, quorum iacturam non facile ferat res publica, in has prouincias mittendos maleficos, capite damnatos, quod Hispanis aeque, ac Belgis iam vsu receptum est. Denique vestimenta, militibus sollemnia, hic aliena sunt, nempe tunicae, ex lana confectae, et pileus niger, cui albus substituendus esset: quae saepe, itinere molesto perdurante, apoplexiam efficiunt, saepe venae sectionem, protinus administratam, eludentes.

Progredimur nunc ad partem tertiam, in qua p. 224.
primo loco curatio eorum morborum proponitur, qui peregrinos in climatibus calidioribus afficere solent. Primo de febribus. Si, durante epidemia, Europaeus eadem corripitur, protinus primae viae vel vomitorio, vel purgante ex manna et senna, vel clystere euacuandae sunt: et postea antimonialibus in refracta dosi vtendum, sique inde ventriculus irritari videatur, parca dosi tincturae Thebaicae addenda: si inde sudor elicitur, remissio praestatur, quae vsui corticis Peruuiani locum relinquit. Sin nihilo minus altero die paroxysmus redit, itidem antimonialibus, ac finito paroxysmo cortice opus est, cui in debilitate virium serpentaria Virginiana, vel camphora addendae sunt; cum caput valde affectum est, vesicatorium nuchae imponatur. Sin autem aegri incuria morbus altius iam radices egerit, deterior status est: anxietas praecordiorum, bilis sursum deorsumque eiecta, icterus, conuulsio diaphragmatis, intercostalium musculorum et

ventriculi, vomitus bilis porraceae et poſtea ſanguinis nigri diſſoluti, ſanguis ex variis corporis partibus prorumpens, phrenitis, gangraena vniuerſalis, ac denique mors, ſequelae eius ſunt. Pulſus fallax in hoc morbo ſignum praebet. Funeſta ſigna ſunt: icterus cito ſuperueniens, maculae liuidae, cutis ſicca et arida, vomitus perpetuus nigrae materiae cum ſingultu frequenti, facies inflammata, oculorum vaſa, ſanguine turgida, phrenitis; ſalutaria autem, caput liberum, pulſus moderatus, anxietas et nauſea ceſſans, cutis modice perſpirans, animus compoſitus. Criſis nullos definitos dies ſeruat, fitque interdum per ſudores; frequentius autem et melius eruptione veſiculari per ſuperficiem corporis: diarrhoea quoque ſalutaris: haemorrhagia in principio morbi ſalutaris; nimia autem, vel ſub finem morbi, letalis eſt. Bubones et parotides rarum quidem, ſed ſalutare ſymptoma ſunt. Venae ſectio non, niſi in caſibus particularibus indicatur. Quum vehemens delirium ſub initium morbi adeſt, praeter eam et mutationem aeris, nitroſa, larga doſi vel ore ſumenda, vel clyſteribus ingerenda, pediluuia, veſicatoria, ſinapiſmi, et, cum conuulſiones iunctae ſunt, moſchus ſolus vel adiuncta cinnabari conducunt: ſi vermes adſunt, 10 vel 15 grana calomelis exhibeantur, et verſus finem febris anodyna conducunt. Neque hirudines et ſcarifationes occipitis vſu ſuo carent.

p. 248. De dyſenteria et cholera, quam in India orientali *Mordechin* dicunt. Dyſenteria, ſi ſola eſt, mitior eſſe ſolet, quam febre epidemica maligna iuncta. Idiopathica, corpus ſanum tempeſtate calida inuadens, cauto venae ſectionis vſu et vomitorio ex paucis granis ipecacuanhae praemiſſis, huicque ſubiuncto opiato, largam doſin ſalis cathartici, et

poſtea

poſtea minimas doſes ipecacuanhae, opiatis et rheo ſociatae, exigit, et, febre profligata, balneum frigidum ſanitatem reuocat: conducit etiam in initio morbi ſolutio mannae et tartari emetici in emulſione communi, addito ſyrupo papaueris albi, per partes ſumenda; poſtmodum opiatum, et tunc mixtura ex cortice Peruuiano et opio. Sin autem nauſea vel vomitus in principio praeſens cholerae metum facit; vomitus ciendus eſt larga potione infuſi chamaemeli, additis, pro ſcopo antiſpaſmodico, paucis guttis ſpiritus cornu cerui, et decoctum chamaemeli in aluum iniiciendum; poſtmodum autem opiatum protinus dandum, quod, ſi ventriculus reſpuat, in clyſteribus applicari oportet. Sic etiam externa applicatio fomenti ex vino, quod aromata, opium et camphoram cepit, vomitum cohibet. In hoc morbo ſaepius in clyſteribus ad dimidiam vſque vnciam tincturae Thebaicae aſcendendum eſt; priuſquam vero hoc fiat, pediluuium et veſicatoria, femoribus applicanda, in vſum duci debent; ſi dolor fixus in ventriculo vel abdomine haeret, idem auxilium parti dolenti ipſi applicari oportet. Durities ac tenſio dolorifica totius abdominis fotu ex decoctis chamaemeli et ſambuci floribus, papauerisque albi capitibus, adſperſo pauxillo ſpiritus vini camphorati, tollitur.

De colica ſicca (*dry Belly-ache*) olim iam in tentamine de conſeruanda nautarum ſanitate expoſuit Cl. Auctor, et nunc adiungit, cochlear olei palmae Chriſti quaque hora exhiberi debere, donec alvus ſoluatur. Praecipuum autem remedium ſiſtunt clyſteres, opio impraegnati, et embrocationes, quibus ſi dolores imminuti fuerint, medicamenta cathartica ingerenda et balnea calida applicanda ſunt: pilulis etiam gummoſis cum aloe per aliquod tempus aluus libera ſeruari debet. Purgantia opio p. 254.

et camphorae nupta, clysteres et fotus emollientes, in vomitu continuo et dolore admodum acuto Cl. ELIOT proficua inuenit.

p. 257. Tetanus, emprosthotonus et opisthotonus morbus regionibus calidis admodum familiaris est, et opii largum vsum, dosi quauis hora aucta, requirit. Cl. Auctor in nosocomio Haslarienſi in Anglia in opisthotono scrupulum integrum extracti Thebaici in minore temporis spatio 24 horarum exhibuit: in alio casu opium et camphora, pedibus applicata, protinus spasmum tollebant, qui, sublato hoc medicamento, illico redibat. Funestior autem in calidis climatibus Europaeis morbus spasticus, est spasmus maxillae (*locked jaw*), amputationes et leuiora adeo vulnera insequens; isque videtur mere spasmus localis musculorum esse: remedia, quae Cl. Auctor tentanda proponit, sunt mutatio aeris, immersio totius corporis, vel partis eiusdem, in aquam frigidam, quae etiam, addito sale ammoniaco vel nitro, artificiale frigus adepta sit; et applicatio solutionis opii ad partem vulneratam, imo ad ipsam spasmi sedem, cum internus eius vsus saepe insufficiens sit.

p. 260. Peculiaris etiam est species paralyseos in India communis, quam *the barbiers* dicunt, homines inferioris sortis infestans, qui ebrii sub dio dormiunt: subito accedit, et membra motu priuat, nunc omnia, nunc vnum tantum vel alterum. Indigenae aegrotum horis meridianis in terram defodiunt et arena vsque ad nucham obtegunt, isque ibi remanet, quam diu calorem arenae perferre potest. Interdum etiam camphora et guaiaci decoctum operam tulerunt; frequenter tamen mutatio aeris solum auxilium sistit, praecipue in littore Malabarienſi, vbi morbus iste frequentissimus et violentissimus esse solet.

Iam

Iam iis remedia proponit Cl. Auctor, qui valetudine aduerſa vſi in eo ſunt, vt in Angliam reuertantur. In vniuerſum iter ita dirigendum eſt, vt aeſtate Angliam repetant. Si corpus laxum eſt, color icteritius, digeſtio languens, colici inſultus crebro recurrentes, durities viſceris cuiusdam, arcus poſt colicam ſiccam contracti, protinus aquis Bathonienſibus vtantur: colica bilioſa et obſtructiones, accedente per interualla vomitu bilis ſincerae, elixiriorum aloes et vitrioli temperatum vſum exigunt. Aquae vero iſtae contraindicantur in tabido corporis ſtatu, in hydrope et in alui fluxu inueterato. Prior ante, quam aeger Angliam repetat, exigit, vt per hyemen Olyſippone, Neapoli, vel in Gallia meridionali commoretur: aliquando aquae Briſtolienſes, iter maritimum tempore aeſtiuo inſtitutum, et fonticulus in latere affecto excitatus opem tulerunt. Cum frequentes morbi corpus in regionibus calidis exhauſerunt; Cl. ELIOT ſola diaeta lactea et vegetabili, adiuncto pro ſcopo alterandi ſale polychreſto, eoque, ſi nimis irritauerit primas vias, cum gummi Arabico ſociato, et veſperi et mane adhibita frictione abdominis cum decocto ſaturato cicutae ex oleo, auxilium praeſtitit: equitatio omniaque alia exercitationum genera, aeque, ac opiata, adſtringentia, roborantia, aliena erant. Cortex Peruuianus numquam ſalutarem effectum producebat; ſed phthiſin potius accelerabat, vbi vere febris hectica iam aderat: quod etiam triginta annorum experientia Cl. DVNCAN confirmat. p. 263.

Hydropici commode ex calidioribus prouinciis in Angliam redeunt. In curatione huius morbi Noſter ad viros Cell. VAN SWIETEN *) et MON- p. 268.

*) Comm. in H. BOERHAAVE aphoriſmos T. IV. vid. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 395. ſqq.

RO *) prouocat, idque tantum addit, se hunc morbum, modo nondum nimis fractae essent vires aegrorum, frequenter curasse leui saliuatione per scrupulum pilularum mercurialium, altera quaque vespera exhibitum, excitata, interposita alternis diebus mixtura diuretica ex aquis pulegii et raphani composita, sale diuretico et oxymelite scillitico.

p. 269. In alui fluxu habituali, si solita medicamenta nihil efficiunt, multum praestant decem grana lapidis calaminaris, in subtilem puluerem redacti, cum aequali portione philonii Londinensis remista, et mane ac vesperi exhibita, itemque decoctum simarubae, nisi nauseam moueat. In genere, si morbus pertinacior fuerit, opiata necessario reliquis remediis addenda sunt; eaque, inprimis calidiora, aeque specifica in hoc morbo dici oportet, ac corticem in febribus intermittentibus. Post mortem in quamplurimis cadaueribus intestina perfecte sana, sine vlla exulceratione inuenta sunt.

p. 273. Progredimur ad appendicem de febre intermittente, quae in quibusdam Angliae locis adeo frequens est, vt ne infantibus quidem, lac maternum sugentibus, parcat. Nonnumquam sub forma continuae vel remittentis aegros inuadit, et tunc nimia sanguinis missione saepius exacerbatur. Optandum omnino esset, vt prostaret medicina, quae subito febrem eiusmodi profligaret, vel perfectam intermissionem conciliando corticis vsui viam liberam panderet. Hoc aliquando euenit post vsum puluerís febrifugi D. IAMES, reliquis auxiliis necessariis simul adhibitis: sed, quum compositio huius medicamenti iamtum incognita sit, non adeo tuto eodem vti poterunt medici. Quod ad reliqua

*) An Essay on the dropsy, and its different species, vid. comm. nostr. Vol. VI. p. 688. seqq.

pua antimonialia, hunc in finem commendata, attinet, kermes mineralis et antimonii diaphoretici effectus paucos vidit Cl. Auctor; maiorem autem vſum adſcribit tartaro emetico, ad granum dimidium ſexta quauis hora, conuenienti modo, ne primas vias irritet, adhibito; nonnunquam tamen eidem vinum antimoniale, ad drachmam vnam, aqua dilutum, omni bihorio auctis doſibus, vſque ad vnciam integram propinatum, praeſtat: quod ſi vomitum cieat, is aqua calida iuuandus; purgatio vero aluina, vires nimis debilitatura, adiunctis vnciae vini quadraginta guttis tincturae Thebaicae praeuertenda eſt. In omnibus antimonialibus diſpiciendum eſt, ne alcalia addantur, imo ne terrei quidem pulueres, et vt illa rite ac recenter praeparata in vſum ducantur.

Varia conſilia, ad praecauendas has febres exhibita, nunc mittimus, quo de curatione ipſarum quaedam excerpamus. Sub primo horroris ingreſſu aeger lectum petat, et mixturam ex aceto et terreo quodam ſub ipſa efferueſcentia ſumat, quod remedium, quouis paroxyſmo redeunte, iterandum eſt. Ad corpus vero ad corticis vſum praeparandum, pro re nata, vomitorio vel purgante ſtomachico, qualis eſt tinctura ſacra, opus eſt. Nonnunquam adeo malignae fuerunt hae febres, vt protinus poſt primum paroxyſmum finitum cortice opus eſſet, ſine eo, vt corpus prius praeparari potuiſſet: alias hydrops, icterus, vel cephalaea grauis, inſequebantur. Huius indolis potiſſimum febres anni 1765 fuerunt. Corticem autem Cl. Auctor non, niſi ſub plenaria apyrexia exhibebat, non obſtantibus affectibus quibuſcunque chronicis: iis tantum, qui tuſſi cum dolore lateris et difficultate reſpirandi laborabant, niſi topica remedia leuamen afferrent, paucas vncias ſanguinis detrahebat, et poſtmodum

p. 281.

p. 287.

p. 291.

modum quantocius fieri poterat, febrem cortice debellare ſtudebat. Siniſtrum effectum numquam fere ab eo vidit, licet per tres vltimos annos quotannis plus, quam 140 libras eiusdem praeſcripſerit. Recidiuas tamen aeque in iis, qui eodem vſi fuerunt, ac qui aliis remediis conualuerant, conſpexit. Quum cephalaea extra paroxyſmum aegrum excruciabat, veſicatorium dorſo impoſitum, corticis efficacitatem iuuit. Continuatus huius vſus, mutatio aeris, et balnea frigida, recidiuam ſaepius auerterunt: debilitas capitis remanens iulapio cum ſpiritu cornu cerui, et cortice in vino exhibito ceſſit; flatulentia, diſtenſio abdominis et tumor pedum, tinctura ſacrae, addito ſpiritu la-
p. 297. vendulae compoſito. Ingens catalogus remediorum antifebrilium, vulgo et ab empiricis adhiberi ſolitorum, cum eorundem cenſura. Arſenicum remedium peius morbo ipſo nominat Cl. Auctor. Poſtmodum remedia, ab aliis medicis propoſita, enarrat, hiſque quaedam a ſe ipſo tentata
p. 304. ſubiungit. In morbo pertinaciori, qui cortici non cedit, nullum remedium maiorem vſum praeſtitit, quam alumen, cum nuce moſchata coniunctum: nonnumquam veſicatorium in dorſo, cum decocto amaro, additis ſale abſinthii et ammoniaco, nonnumquam extractum gentianae cum tinctura ſacra profuerunt. Caſcarillae effectus exiguos vidit: vitriolum caeruleum, licet opium adiungeret, tamen ventriculum nimis affecit. Faba S. Ignatii interdum curationem praeſtitit; frequentius autem ſpem
p. 308. conceptam fefellit. Corticem vero Peruuianum effectu optato deſtitui, a tribus fere cauſſis proficiſcitur: nempe vel non ſatis diu eius vſus continuatur, quum frequenter quinque vel ſex ad minimum vnciis opus ſit; vel doſi nimis parca adhibetur; quae ſaepe vnius vel duarum drachmarum omni bi-

bihorio vel trihorio requiritur; vel incongrua forma praescribitur, quandoquidem nec electuaria, nec boli Noſtro placent, nec opus eſt, vt aromatica, martialia, ſalina, cet. addantur; ſed optime drachma vna pulueris in vnciis duabus vehiculi aquoſi detur, addito ſcrupulo ſpiritus ſalis ammoniaci vel drachma tincturae myrrhae, aut in iis, qui potui ſpirituoſo aſſueti ſunt, vino vel eiusdem ſpiritu. Nauſea ſuperueniens vel emetico tollitur, vel vſum corticis Peruuiani in clyſmate requirit: tunc autem prius cathartico clyſmate inteſtina eluenda ſunt, et ipſi cortici opium addendum, quod impediat, quo minus effectus purgans ſequatur.

Frequenter tamen accidit, vt acceſſus febris adeo violentus ſit, vt aegro nullum tempus intermiſſionis concedat; neque ergo corticis vſui tempus relinquat: quo in caſu, durante ipſo calore febrili, opium cum ſumma euphoria exhibet Cl. Auctor, quod paroxyſmum breuiorem reddit, caput liberat, calorem ardentem febrilem tollit, et ſudorem cum leuamine, placidumque ſomnum prouocat: et ſi quoque ſymptomata non prorſus tollat, ea tamen non intendit. Ergo omnino optimum praeparatorium corticis dicendum eſt. Si obſtructio adeſt, tincturae ſacrae addi debet. In infantibus, quibus medicamenta per os ingeri non poſſunt, ſaepe liquor ex aequalibus partibus tincturae Thebaicae et linimenti ſaponacei, ſpinae dorſi illitus, paroxyſmum praeuertit, et reliquis medicamentis, aptius applicandis, opportunitatem facit. p. 312.

Vltimo loco quaedam conſilia exhibentur de praeuertendo in nauibus defectu aquae purae et alimentorum. Praemiſſa breui hiſtoria artificii, aquam marinam potui aptam reddendi; Cl. Auctor ſibi eius faciliorem methodum prae Cl. POISSON- p. 323.

SONNIER *) tamquam inuentori tribuit. Tota haec operatio perficitur ſimplici deſtillatione, ad quam peculiaria inſtrumenta chemica non requiruntur; ſed tantum cacabus aeneus maior, quo in nauibus ad coquendos cibos vti ſolent; huic impoſitus, alembici loco, lebes, aquae ad potus calidos coquendae deſtinatus, demto manubrio; huic, recipientis loco, applicetur tubus ſclopi igniarii, cui adiungendum eſt vaſculum ligneum, aquam, ſub deſtillatione tranſeuntem, excepturum. Neque alimenta ignis ſumtus neceſſarios ſuperare, neque vlla inde incommoda metuenda eſſe monet. Quod ad alimenta attinet, oryza ſatis quidem nutrit; ſed diuturniore coctione opus habet, adeoque plus ignis et aquae requirit. Gummi Arabicum, quod HASSELQVISTII aliorumque relationibus innotuit, vrgente neceſſitate alimentum ſufficiens praebet. Nihil vero conuenientius exiſtimat Cl. Auctor, quam radicem ſalep et gelatinam concentratam, ex carnibus extractam (*portable ſoop*) quarum ſingularum duae librae ſufficiunt ad vitam vnius hominis per integrum menſem ſuſtentandam: quare in exſtruendis nauibus eo reſpiciendum eſſet, vt iuſta illarum quantitas in eas deportaretur.

III.

Nomenclatura critica morborum ocularium: or, a Critical Index to the Diſtempers of the Eyes. By IOHN HENRY MAVCLERC, M. D. London. Sold by F. Newberry and C. Heydinger. 1768. 8. pl. 5. cum praefatione.

In praefatione dicit Cl. Auctor, ſibi hoc in libello propoſitum eſſe, confuſionem, quae in recenſendis oculorum morbis inter Auctores deprehenditur,

*) vid. comm. noſtr. Vol. XI. p. 358.

dicitur, tollere, neque tam docere, quam delectare Lectores. Se morbos oculorum exacte examinando, eorum numerum nimis multiplicatum esse, intellexisse, cum ex ducentis, qui numerentur, vix centum sint, qui vero nitantur diuisionis fundamento. Exhibet centum et duodecim Graeca diversa nomina, quorum tamen plura coniungit, quaedam autem non satis definit, cum, vt Ipse dicit, Graecos auctores satis legendi et consulendi sibi defuerit copia, quae quidem excusatio non sufficiens videtur nobis. CELSVM, PARAEVM, GORRAEVM, BANISTERVM, aliosque recentiores inter se comparat, et, quatenus vel recte, vel falso morbos nominauerint, decernit. Sic *Aethomoma* reicit, et *ὄμματα αἰθομένα* dicendum esse putat: quamquam nobis eodem, quo *Coeloma* et *Coloboma* dicitur iure, adhiberi posse videtur Aethomoma. *Hemeralopiam* et *Nyctalopiam* a recentioribus diuerso plane ab HIPPOCRATIS sensu intelligi ostendit; qui per illam, nocturnam visionem, per hanc, nocturnam coecitatem intellexerit. *Helos*, cum *Proptosi*, *Melone*, *Staphylomate*, et *Myocephalo*, est procidentia vueae, a recentioribus *hernia oculi* nominata. Praeterea quendam inferit, a SENNERTO descriptum morbum, quem *Extensionem nonnaturalem humoris vitrei* nominat, a gutta serena diuersum esse, et in atrabilariis, feminisque grauidis, virginibusque male menstruatis saepe occurrere dicit. Quodsi, quos vel omnino coniungit, vel admodum inter se conuenire existimat Cl. Auctor morbos, perpendimus, vix plures, quam septuaginta certos esse apparet. In fine indicis addit recentiorum inuentos morbos, *ophthalmiam internam*, *variculas adnatae*, et *vermiculos*. Denique quasdam practicas obseruationes, applicationis, vt dicit, caussa, adiungit, ex quibus illam com-

p. 2.

p. 8.

p. 15.

p. 10.

p. 9.

p. 22.

p. 24. commemoremus, qua *Euphrasiae* vinum coecitati egregie mederi asserit, et exemplum refert hominis, qui hausto euphrasiae fumo, loco tabaci, a coecitate, nimiis lacrymis effusis orta, liberatus est. Finem libri facit index verborum Graecorum, quae Cl. Auctor modo potuit reperire.

IV.

IOANNIS BAPTISTAE FISCHER, Laur. medic. Candidat. assertiones de venenis. Pragae. Literis Franc. Aug. Hoechenberger, s. a. 8. pag. 13.

§. 5. Quodcunque corpus aptum est, sub pauca licet quantitate massae, corpori animali viuo ingestum applicatumue ex natura sua in istud agere, actione tendente in destructionem vitae huius animalis, venenum appellatur; si subito necat, praesentaneum; si cito, velox; si tarde, lentum. Cetera autem, corpus animale viuum laedere apta, nomine caussae excitantis morbum generatim, neque alio peculiari solent insigniri. His verbis Noster describit venenum.

§. 6. seq. Postea agitur de venenorum diuersitate cum quoad eorum naturam, tum quoad corporum, quibus ea alio atque alio modo applicantur cum effectu et sine eo. Nam idem corpus modo venenum esse potest, modo non. Quapropter nullum corpus absolute venenum est, nec quoque absolute antidotum inuenitur.

§. 12. Venena sunt vel naturalia, vel arte facta. Naturalium classes quatuor numerantur: prima venena mineralia, altera plantarum, tertia animalium, quarta denique classis complectitur aerea.

§. 19. Spectantur venenorum effectus modo quadruplici. Ac primum quidem sunt venena, quae le

post

post mortem manifeſtent; dein quae ante, quam corpus plane deſtruant, mirabiles prorſusque ſingulares aliisque morborum cauſis non communes edant effectus; tertio exſtant venena, in quae ſymptomata, aliis morborum cauſſis communia, cadant; quarto nonnullorum venenorum effectus et actio a priori noſcuntur.

Indicatio circa venena eſt vel prophylactica, vel curatoria, vel palliatiua. Inter antidota inuenimus, aquam, oleum, ignem, opium acetumque. §. 22.

Contra venenorum primam claſſem ſero medicina paratur; contra ſecundam antidota a poſteriori; tertiae claſſis effectus ſunt tractandi, vt morbi cum ſimilibus ſymptomatis; quartae claſſis venena, cognito ſuo ſpecifico, quod veneno, in corpore non praeſente, venenum eſt, facilius domantur. §. 29.

V.

IOSEPHI NICOLAI LAVRENTI, Auſtriaci Viennenſis, ſpecimen medicum, exhibens ſynopſin *Reptilium* emendatam, cum experimentis circa venena et antidota reptilium Auſtriacorum, quod pro ſumma in medicina laurea eique annexis iuribus ac priuilegiis rite conſequendis publicae diſquiſitioni expoſuit, menſe martio, anno MDCCLXVIII. Viennae. Typis Ioann. Thomae nob. de Trattnern. 8. plagg. 14. cum dedicatione. tabb. aen. 5.

Quemadmodum hiſtoriae naturalis cognitio ea eſt, quae omnibus medicinae partibus non ſolum inſignia praebet auxilia, ſed qua etiam plane nequeunt carere: ita certe, vt Cl. Auctor in praeloquio ad hunc, laudabili opera conſcriptum

libellum docet, eiusdem vtilitas neceſſitasque in cognoſcendis animalium venenis, et iisdem rite feliciterque medendis luculenter cernitur. Huius enim inſcitia plurimas veterum de venenatis animalibus reliquias inutiles reddit, et hodienum quoque multa ſequuntur damna: cum rudes homines vel innoxia animalcula temere metuant, vel veneno alia eademque contraria opponant medicamina. Ideoque non ſatis laudari poſſunt, qui noſtro feliciſſimo ſeculo vtiliſſimam hanc ſcientiam magis magisque augere ac definire ſtudent: laudemque omnino Noſter plurimam meretur, quod hanc viam feliciter ingreſſus, animalia *reptilia* primo diligenter diſquiſiuerit: poſtea etiam Auſtriacis experimenta ſedulo tentauerit. In diſquiſitione igitur eorum, nouum ei ingrediendum fuiſſe ordinem
p. 8. affirmat. Etſi enim merita Ill. LINNAEI agnoſcit; hunc tamen, ait, nimiis obrutum laboribus, vera genera pro ſpeciebus habere, differentiamque, quam e ſcutorum ſquamarumque ſolo numero deſumit, fallacem eſſe, atque in vna eademque ſpecie ſaepius ludere: Ipſumque ſuo nimis inhaerens fundamento, vt aliorum autoptarum labores immerito repudiat. Reiecit igitur Noſter Linnaeanas differentias cum propter inconſtantiam, tum quod ita in viuo ſpeciem noſſe non liceat: aliasque, et nouas ſubſtituit definitiones, quas ex autopſia, ſpecierumque collatione, atque in exoticis ex iconum praeſtantiorum fide ſumſit. Nos tamen optaremus, vt in enumeratione ſpecierum Ill. LINNAEI, etſi ab eo diſſentiat, nomina ſaltem indicaſſet: cum,
p. 5. id quod ipſe Cl. Auctor fatetur, ſynonymia in hiſtoria naturali maxime ſit neceſſaria, ac LINNAEI ſyſtema, inſtar Lexici inſeruiat, atque in omnium fere manibus verſetur.

In

in experimentis diligenter inſtitutis euenta
nit, quae vel ex morſu, vel vrina, vel lacte
rucarum ſingulae ſpeciei oriantur: differen-
, quae animaduertatur ex parte animalis
rdentis, vel morſi, vel partis morſae, vel eius,
maxime a ſingulo veneno petatur: deinde ef-
, quae vel ex motu aucto, vel ſublato ſe-
ntur. Denique antidota, his phaenomenis ad-
nda, inquiſiuit, vt neglecta, ſi bona, adhibe-
ur, confirmarenturque iuſta, hactenus incerta,
que noua inuenirentur, neque inutilibus tempus
ſtra tereretur. Ita ſe inueniſſe dicit, nulla venena-
in Auſtria gigni, niſi vipera FRANCISCI
NDI, Illyrica, aut Gallica irrepant: lites inter
liſſimos viros diſtinctione ſpecierum compoſu-
: tabula reptilium facta, viam planam oſtendiſ-
, atque contra viperam Rhedianam feliciter op-
uiſſe *Gentianam* et mercurium gummoſum.

Characterem *Reptilium*, quae *amphibia* LIN-
AEI, praeter *nantes*, comprehendunt, cum pul-
nes arbitrarii ſint pauciſſimis, penis duplex dif-
ciliter inueniatur, aliisque nulla ſint genitalia; ne-
que ova concatenata omnibus conueniant, hunc
conſtituit: *Animalia frigida; pilis, mammisque ca-* p. 20.
rentia; *pulmone inſtructa, ſine diaphragmate, et fe-*
re coſtis, at vicaria gula, quae alternatim aërem
haurit, et contracta in pulmonem propellit; diutiſſime
ſuperantia; non maſticantia, cibum integrum deglu-
tientia tardiſſime digerentia; famem tolerantia (per
menſem ſaepe annum); copula diu cohaerentia; exu-
uiis poſtis ſenectam exuentia; ſuſpecti habitus. Hanc
claſſem in tres ordines diuidit, *Salientia*, *Gradi-*
entia, *Serpentia*. Priora his definit notis: *pedes poſtici*
ſaltatorii; corpus ſine ſquamis, exuuiae forma muci: au-
ris membrana tectae; dentes nulli, vngues nulli, genita-

lia nulla, praeter anum; metamorphosis [illegible]
Haec igitur vnum *Ranae* LINN. genus [illegible]
Genera Noſter haec conſtituit. 1. *Pipa*: [illegible]
poſticis vnguiculatis. *Rana Pipa* LINN. 2. *Bufo*: [illegible]
corpore orbiculato verrucoſo, capite antice [illegible]
ſo, ſupra gibbo, dorſo recto, pedibus [illegible]
vrethra iaculatoria, oua in taenium connexa; [illegible]
nocturna. Hinc differt ab affinibus, vt *Strix* [illegible]
Falcone, *Caprimulgus* ab *Hirundine*, *Phalaena* [illegible]
Papilione. Pertinent huc *Rana Bufo* LINN. [illegible]
qua plures ſpecies condidit: *Rana rubeta*, [illegible]
ſa, *Bombina*, *ventricoſa*, *cornuta*: nouasque [illegible]
Schreberianum, et *viridem*, quem depictum [illegible]
dictas. 3. *Rana*: corpore capiteque elongato, [illegible]
dorſo transuerſim gibbo; oua coacervata, [illegible]
diurna. Linnaeanas ſpecies *Ranae* has continet: [illegible]
marinam, *marginatam*, *temporariam* et *ſcalptam* [illegible]
tam aliasque addit. 4. *Hyla*: corpus leue, [illegible]
maculis albis, crura poſtica longiſſima, digiti [illegible]
dentes. Haec comprehendit, *Ranam ocellatam*, [illegible]
arboream et *boantem* LINN. quas quidem in plures [illegible]
ſpecies diuiſit. Sitne vero *Hyla tibiatrix* Cl. Auctoris *Rana typhonia*, an *Muſica*, etſi deſcriptio prioris proprior videatur; ex neglectis tamen omnibus ſynonymis certe definire non audemus. 5. *Proteus*: animal amphibium, maxillis, ac digitis [illegible] ticis, cauda ancipiti. Huius generis ſpeciem [illegible] rem, *raninam* (eſt *Rana paradoxa* LINN.) [illegible] (SEB. *Tom. I. tab.* 78.) huic ordini; duas vero [illegible] quentes, *Proteum tritonium* et *anguinum* [illegible] ſtriacas, iconibus depictas, *Gradientium* [illegible] ſcribit.

p. 36. Tribuit vero *Gradientibus* hos characteres: *pedes quatuor gradientes; inceſſus abdomine a terra leuato; corpus alepidotum, rotundo caudaque inſtructum.* Igitur, praeter duas *Proteï* ſpecies, genera

haec diſtincta videmus: 6. *Triton*: corpore aequali, tereti, cauda compreſſa lanceolata, in aqua agilis. Huc pertinet *Lacerta aquatica* LINN. adduntur tamen multae aliae ſpecies, inter quas *Triton alpeſtris*, *carnifex*, et *paluſtris* numerantur. 7. *Salamandra*: corpore molli, ſplendente, lac fundente, capite vtrinque, dorſo alterne ſcabroſo, lateribus mammellis inſtructis *), cauda compreſſiuſcula, viuiparum ouiparumque animal. Eſt ſpecies *Salamandra* LINN. in plures ſpecies diuiſa **). 8. *Candiuerbera*: capite, cruribusque tenuiſſime ſquamulatis, digitis natatoriis, cauda vtrinque pinnata, pinnis vltimis maximis. *Lacerta candiuerbera* LINN. quam in duas diuidit ſpecies, alteram SEBAE II. 103. 2. alteram FEVILLEI t. 319. 9. *Gekko*: corpore tenerrime ſquamulato, capite ingenti, maxillis muticis, digitis pinnatis, apice craſſiſſimo, ani transuerſali. (SEBA. I. 108.) Eſt igitur *Lacerta Gekko*, quae *teres* dicitur, et *Mauritanica*, *verticillata* dicta, LINN. quibus addit *muricatam*. 10. *Chamaeleo*: corpus lucidis ſquamiformibus tuberculis tectum, caput anguloſum, maxillae muticae, pedes pentadactyli, bifidi, anus longitudinalis. (SEB. I. 82.) Eſt LINNAEI *Lacerta Chamaeleon*, in plures diuiſa ſpecies, inter quas *Chameleo candidus*, nouus, in Muſeo Turriano inueniendus. 11. *Iguana*: corpore tenuiſſime ſquamulato, capite callis anomale tecto; ad quam, praeter *Lacertas ſcutatam*, quam *Iguanam clamoſam* dicit, et *Agamam*, quam in *L. cordylinam*, et *ſalamandrinam* diuidit, atque *Calotem* etiam in duas, *I. Calotem* et *chalcidicam* diuiſam, ut *Iguanam* LINN. aliae ex SEBA, et nouae, *ſeptiformis*, *minima* et *tuberculata* e muſeo Turriano

*) cf. MAVPERTVIS in act. Pariſinis. 1727.
**) cf. WVRFBAIM *Salamandralogia*.

referuntur. 12. *Basiliscus: Lacerta Basiliscus* LINN. 13. *Draco: Draco* LINN. 14. *Cordylus:* capite cataphracto, corpore squamis carinatis, carinis elevatissimis, muricato. Huc refert *Lacertas Cordylum, Stellianam, orbicularem* LINN. et *Brasiliensem.* 15. *Crocodylus.* Hic *Lacerta Crocodylus* LINN. in quatuor diuiditur species C. *niloticum, Americanum, Africanum, terrestrem.* 16. *Scincus:* corpore squamoso, ano transuerso, collo crasso. Est LINN. *Lacerta Scincus*, aliusque *Scincus Stellio* dictus (SEB. II. 104.) additur. 17. *Stellio:* abdomine scutis quadratis tessulato, capite imbricato, corpore polito. *Lacerta monitor, Dracaena* et *punctata* LINN. huc, praeter alias Sebianas, a LINNAEO non assumtas, pertinent. 18. *Seps:* capite cataphracto, femoribus posticis subtus calloso punctatis: quem in duas phalangas diuidit, alteram abdomine imbricato, vt est *Seps Scincus*, in museo Turriano reperiundus; alteram abdomine, scutis subquadratis tessellato, quam iterum ex numero scutorum subdiuidit; vbi quidem ex allatis SEBAE iconibus cognouimus, ad eum esse referendas *Lacertas Anguinam, ocellatam et lemniscatam;* addit tamen Noster alios multos ex SEBA, et nouos, vt *Sepes fericeum, argus, terrestrem, rubrum, coerulescentem* et *varium*, quos omnes iconibus depictas indicat. Restant igitur plures *Lacertae* LINN. species, quae a Nostro vel non sunt receptae, vel latent aliis sub nominibus; quas vero, cum nullibi aut synonyma conuenientia reperiat, aut descriptionem similem, non definire licet.

p. 63. *Serpentia*, quae tertium ordinem constituunt, his notis conuenire ait Cl. Auctor: *Corpus tentaculum, collo, trunco, caudaque indistinctis; anus; deglutitio, vomitus per contorsiones peculiares corporis, et attritu ad humum inaequalem; maxillae dilatabiles, oesophagus laxissimus; genitalia conjugum,*

pictio

ano oppoſita; ſcandendo aequilibrant. Genera proponuntur ſequentia: 19. *Chalcides*, quae ſquamatum pedibus adiuuat. *Lacerta Chalcides* et *anguina* LINN. hoc genere comprehenduntur. 20. *Caecilia:* LINNAEI genus retentum. 21. *Amphisbaena:* capite a corpore indiſtincto, antice ſcutis tecto, corpore nudo, cauda obtuſa. Hic LINNAEI ſpecies in quinque ſunt diuiſae. 22. *Anguis:* capite a corpore indiſtincto, corpore laeui, ſupra ſquamis imbricato, cauda obtuſa. Plures hic Linnaeanae *Anguis* ſpecies retinentur, referunturque huc *Coluber calamarius* et *albus* LINN. *Anguis fragilis* depingitur. 23. *Natrix:* caput cataphractum ſcutis latis, plagioplateum, antice contractum in roſtrum; truncus glaber, medio craſſiſſimus; cauda conica, elongata. Componitur hoc genus ex *Colubre vittato*, *aulico*, *Natrice*, *Aeſculapii*, *lemniſcato*, *Saturnino*, *Hippocrepi*, *mucoſo*, *coeruleſcente*, *filiformi*, *exoleto*, *Ahaetulla*, *myſterizante*. Dubias ſpecies omittimus. Nouae videntur *Natrices longiſſima*, et *candida*, *Gemonenſis*, et *Argus* (an *Argus?* LINN.) 24. *Ceraſtes*: caput cataphractum ſcutis latis, catetoplateum, os rotundatum; truncus robuſtior; cauda craſſa, ſubobtuſa. *Colubros ſeuerum*, *plicatilem*, *Aurorum*, *rhombeatum*, *agilem*, *Cobellam*, *laeuem*, *nebulatum*, *et candidum*, LINN. huc refert. 25. *Coronella:* caput media fronte, clypeo lucente, ſubouato inſignitum, lateribus ſquamis imbricatis. Corpus *Natricis*. Inter has eſt *Coronella Auſtriaca*, icone depicta. 26. *Boa:* frons conuexa, imbricata; roſtrum depreſſum, antice cataphractum; oculi in baſi roſtri ſiti, ſcutis cincti; labium ſuperius emarginatum; dorſum marmoreum, latera immaculata; habitatio in arboribus. Eſt *Boa canina* LINN. diuiſa ita, vt Linnaeana dicatur

thalaſſina, et SEB. II. 81. f. 1. *aurantiaca* atque *Boa Hipnale* LINN. *exigua* dicta. 27. *Dipſas:* caput depreſſum cataphractum; truncus anguſtior, compreſſus, anceps; cauda teres, imbricata. Eſt *Coluber atrox* LINN. 28. *Naia:* eſt *Coluber Naia* LINN. in plures ſpecies diuiſa. 29. *Caudiſona:* crepitaculo ſonoro caudae. *Crotalus horridus*, *Dryinas*, et *Duriſſus* hoc genus conſtituunt; ita tamen, vt SEBAE icones, a LINNAEO ad *Dryinem* relatae, diſtinguantur nomine *Caudiſonae orientalis:* quod etiam factum eſt cum GRONOVII *Caudiſona*, quam LINNAEVS ad *Duriſſum* refert. 30. *Vipera:* differt a *Colubro* defectu ſcutorum in antica oris parte, capite ſquamulis imbricato, oculis ſub ſcutello ſitis. Hic diſtinguere licet *Colubros Berum* et *Ammodytem* LINN. quorum priorem *Viperam Rhedi*, alterum *Illyricam* nominat, et *Colubrum atrocem* LINN. 32. *Cobra*: caput ſquamis imbricatum; oculi in ſuperiori capitis parte, ſquamae corporis carinatae, ſquarroſae, caducae. *Coluber Atropos* LINN. huc pertinet. 33. *Aſpis:* caput ſquamatum, gibbum, oculis ſupernis: corpus ſquamis appreſſis. *Colubrum Viperam* LINNAEI, et tres ex SEBA II. 2. 5. 8. 7. comprehendit. 34. *Conſtrictor:* caput ſquamulis laeuigatum, frons eminens, medio ſulco diuiſa; oculi magni; orbitae frontis prominentia fornicata, roſtrum contractum, nares productae ouatae; cauda breuiſſima obtuſa. *Boa Conſtrictor* LINN. ita a Noſtro hic definitur, vt SEBAE icones aliis ſpeciebus tribuat: praeterea huc referuntur *Boa Ophrias* LINN. 35. *Laticauda* eſt *Coluber Laticaudatus* LINN. *ſcutata* dictus, et alia *imbricata*, non certe definita. Ex his igitur patere arbitramur, quantam Noſter in diſcernendis *Amphibiis* adhibuerit operam: interim ex comparatione cum ſpeciebus, a LINNAEO conſtitutis, videmus

videmus, multas earum reſtare aut non aſſumtas, aut nomine alio, non indicato, reconditas.

Breuiter nunc ſummam experimentorum videa- p. 111.
mus, in quibus enarrandis ita verſatur, vt ſingulae ſpeciei, in Auſtria habitantis, differentiam deſcriptionemque vberiorem indicet; deinde effecta veneni in animalibus viuis, a morſu venenati orta, ac, quae tentauerit ſucceſſiue antidota, enarret. Ex experimentis, in *Buffone viridi*, ex quo odor ambroſiacus narcoticusque ſpirat, inſtitutis, apparet, eſſe eiusdem venenum vel extus affrictum, vel ingeſtum, columbis paroque innoxium; canes vero inde vehementer affici, externe puſtulis ſerpentibus, intus emeſin concitare, niſi lac additum fuerit: quod igitur acrimoniae huic eſt contrarium: ſepes protinus a morſu languere, poſtea conuulſionibus mori. *Buſonem igneum* columbae applicuit, cani p. 129.
que deuorandum dedit, absque vlla laeſione: ſepes inde tantum lipothymici facti. Hinc ei minus venenati, quam congeneribus ineſt. *Ranam mu-* p. 135.
tam (*temporiam* LINN.) veneni expertem, cum ne ſepes quidem laedat, iudicat. *Tritonem alpeſtrem*, p. 144.
nauſeoſum quidem foetorem ſpargere; nec tamen venenatum eſſe, tentamina docuerunt. *Tritonis criſtati* veneno ſoli ſepes mortui ſunt. *Salaman-* p. 149.
dram atram, cum ne eius lac quidem, animalibus inditum, aliquam noxam animalibus, niſi ſepibus, afferat; non metuendam homini eſſe iudicat: id quod etiam de *Salamandra maculoſa* valet, quae ſepibus ſolis infeſta eſt, canis, ea deuorata, non quidem laeſus eſt, ſed eam, horae tempore finito, iterum euomuit. *Sepes* omnes innoxios, *muralem*que p. 160.
et *viridem* eſui aptos eſſe, experimentis multis inſtitutis eſt edoctus. *Anguem fragilem*, *Natricem vulgarem*, *Coronellam Auſtriacam*, *Colubrum viperam*,

Anglorum, (*Coluber Preſter* LINN.) veneno carere; quod etiam ſtatuit de *Colubro Bero*, cuius venenum, etſi columba a morſibus plurimis mortua ſit, non tamen nocere poſſe maioribus animalibus affirmat; indeque nimis, vt videtur, audacter reprehendit LINNAEI regulam, qua omnis ſerpens, dentibus exſertilibus inſtructus, venenatus ſit.

p. 198. Denique deſcribit experimenta vndeuiginti inſtituta cum *Vipera Rediana*, cui omnia antidota cognita inutiliter oppoſuit, donec felici ſucceſſu videret, mercurium gummoſum Cl. PLENCKII*) et puluerem radicis gentianae, huius veneni vim, etiam iterato admiſſam, ſuperare, neque vlla animalibus naſci damna. Vt igitur et homines hoc antidoto vterentur, compoſuit haec antidota ſequenti modo: R. Mercurii viui drachmam dimidiam, gumi Arabici drachmas duas. Miſceantur, terantur in mortario lapideo in puluerem, cui continuata trituratione ſenſim ac guttatim inſtillentur aquae fontanae vnciae tres; aequaliter ſolutis adde extracti gentianae ſcrupulos duo, et Sacchari albi drachmas duas. Hoc medicamentum pro doſi hauriatur.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 623.

VI.

Traité général des pêches, et hiſtoire des poiſſons, qu'elles fourniſſent, tant pour la ſubſiſtance des hommes, que pour pluſieurs autres vſages, qui ont rapport aux arts et au commerce par Mr. DU HAMEL DU MONCEAU Inſpecteur général de Marine, etc. et Mr. DE LA MARRE. Sect. I. II. III. à Paris chez Saillant et Nyon et Deſaint. 1769. fol. maj. alph. 4. plagg. 13. tabb. aen. 93. *)

i. e.

Tractatus de piſcandi rationibus, atque hiſtoria piſcium, qui illis obtinentur, Auctoribus Cll. DU HAMEL DU MONCEAU et DE LA MARRE. Sect. I. II. III.

Quum profecto in hiſtoria atque oeconomia piſcium multa ſint, quae nos lateant, ideoque curioſiore indagatione indigeant; nemo ſane dubitabit, quin hic Auctorum, ſcriptis plurimis vtiliſſimisque clariſſimorum, liber omni attentione et laude ſit dignus. Praeſertim cum hi Cll. Viri nulli in eo elaborando ornandoque pepercerint operae; ſed et ea, quae ad piſcaturam pertinent, et piſcium viuendi rationem illuſtrant, diligentiſſime perſequantur: quae profecto eo vtiliora forent, ſi magis ad ſyſtematicam

*) Huius libri verſio Germanica facta eſt a Cl. DANIELE GODOFREDO SCREBER, I. D. profeſſ. camer. ſcient. Lipſ. prodiitque pars prior 1773. in quarto Lipſiae et Regiomontii apud. *Ioann. Iacob. Kanter.* Notamus, Cl. SCHREBERVM huic verſioni multum pretii prae ipſo libro addidiſſe et obſeruationibus vtiliſſimis, et determinatione piſcium ſyſtematica.

cam certamque piſcium deſcriptionem ſimul attendiſſent Prima igitur parte mechanicam diuerſarum piſcandi rationum pertractant; altera parte ipſa piſcium hiſtoria deſcribetur. Piſcaturarum deſcriptio ita eſt diuiſa, vt prima ſectione agatur, de piſcandi ratione hamis, altera, retibus, quaecunque demum illa ſint, atque tertia reliquae rationes enarrentur.

Sect. I. Introductione, vbi de differentia piſcium ingenere piſcatorumque officiis agitur, praemiſſa, ge-
p. 1. nerales quaedam conſiderationes de piſcatura, ha-
p. 13. morum ope, referuntur: oſtenditurque, hanc aliis praeſtare, cum ſemper et vbiuis inſtitui poſſit, piſcibusque aliis non noceat. Iam, terminis artis explicatis, inſtrumenta, eaque parandi adhibendique methodi enarrantur atque aptis figuris illuſtran-
p. 29. tur. Eſca piſcium varia eſt, multique omnem auide arripiunt: alii tamen ſelectum poſcunt. Ita piſces aquarum dulcium caſeo, vel carne animalium, maxime lumbricis alliciuntur; omninoque vermes diuerſi, optime, ſi prius excrementa ſepoſuerint, omnibus piſcibus conueniunt. Hinc vermes conſeruandi rationes ex WALTONO referuntur. Praeterea oſtreas, gryllos, formicas, muſcas, papiliones, piſces minores, fabas ad eſcam adhiberi, eaque aſa foetida illiniri, furfuraceos globulos ad *Sparum Melanurum* LINN. capiendum parari, atque alia plura ex marinis vermibus hamis appingi, quin imo lapidibus albis, plumbo, aliis-
p. 34. que piſces decipi maiores vberius refertur. Hamis piſces aeſtate optime capiuntur, tempeſtateque turbida melius, poſtquam oua peperegunt, quam in ipſo partus tempore. Praeſertim piſces gregarii propria requirunt tempora: quae etiam
p. 36. in variis regionibus varie, vti Noſtri referunt, eliguntur. Nauiculae ad capiendos hamo piſces ab aliis

aliis aliter adhibitae, earumque ſtructura deſcriptione iconibusque explicantur.

Varias piſcatuum hamo inſtituendorum, rationes deſcripturi Auctores arundinis lineaeque piſcatoriae fabricam easque parandi modum indicant, eſcamque hamo adaptandi rationem, illaque piſces allicienti verius deſcribunt: deinde locum piſcationis aptiſſimum determinant, oſtenduntque, quo modo ambulando, vel in variis oris maritimis piſcatio ſit inſtituenda. Tum varias piſcatus rationes deſcribunt, vel *ſedentarias*, cum linea piſcatoria certo loco infixa ſit, dictas, vel *natatorias*, cum hami natantibus ſint alligati corporibus; has vero, hic vlterius referre, ſupersedemus, cum ſine icone vix intelligantur. p. 46. p. 61.

Piſcatuum maiorum, fluuiis, lacubus marique ſuſcipiendorum, fumum ope, tres modos praecipue eſſe oſtenditur; vel vt eſca fundum petat, vel media in aqua natet, vel vt funis oblique dirigatur, cum altitudo fundi non eſt cognita, quod dicitur globum trahere (*trainer la Balle*). Hos, cum vel in minori, vel maiori diſtantia ab ora, vel in aquis dulcibus, vel mari, vel aeſtus in mari tempore, varie ſint inſtituendi, curate et ample ſatis hic deſcriptos legimus. p. 68.

Altera ſectio piſcationes, retibus inſtituendas, exponens, primo capite, retium varia genera, parationem conſeruationemque docet: altero explicat piſcatus, qui retibus, manu ductis, inſtituuntur, quorſum referuntur reticula (*epervier*), tragulae (*carreau*) iacula miſſilia, naſſae, ſagenae (*havenaux*) atque alia huius generis: tertio eos referunt Cll. Auctores, quos retibus quieſcentibus, quae culei, ex filis facti, (*guideaux, verveux*) dicuntur, vel naſſis maioribus (*Bourdigues*) et minoribus perficiunt piſcatores. Piſcationes in aquis vadoſis, palis ad perpendiculum Sect. II. p. 1. p. 26. p. 44.

lum erectis, retibusque varii nominis connexis, instituendae; quarto, et quinto, quae enarrantur, quae septis (*Parcs*) exstructis, ideo suscipiuntur, vt
p. 99. pisces in mare regredi impediantur. Tum, quae retibus natantibus ingrauatisque, vel prope, vel procul a littore maris parantur, piscaturae; sexto,
p. 160. septimoque, quae retibus trahendis conficiuntur,
p. 167. et octauo denique describuntur eae, quae in oris maris mediterranei adhiberi solent, sepium piscatoriarum, lapidibus retibusque instructarum formam habent, et in ipso mari eriguntur.

Sect. III. Reliquas, nondum descriptas, piscandi ratio-
p. 1. nes sectione tertia Auctores Cl. comprehendunt: itaque, explicatis instrumentis, ostendunt, quo modo vel manu, vel rastro ostreae aliaque testacea, vel rutro furcaue vermes piscesque, vel oggis, vel hasta, aut furca *Muraena anguilla* LINN. capiantur, vel, in minoribus aquis, ambulando, vel in maioribus, vehendo nauiculis; aut ad littus, aut ipso in mari: et qua ratione iaculo, cuspide hamato instructo, *Delphinus Delphis* LINN. aliique telis vel sclopetis interficiantur. Postea docent, noctu retibus interdum piscari, igne accenso, alibi manu; alias auibus, vt *Pelecano Carbone*, vt et *Anate Crangula*, et *Mergo merganser* LINN. annotante Cl. SCHREBERO; vel quoque sub glacie
p. 22. in Russia, Suecia, et America. Tum enarrant, transuehendi vendendique vel pisces marinos, vel aquarum dulcium et mortuos, et viuos metho-
p. 28. dos: atque tradunt consilia auxiliaque, quibus
p. 57. sint pisces variis in locis conseruandi. Deinde generali expositione piscandi methodorum in diuersis oris maritimis, varia et dicta repetunt, et notatu digna addunt. Denique terminorum, hoc in libro adhibitorum, iconumque copiosissimarum subnectunt

ceſſunt explicationem. Nos vero in hac generalibri huius libri, in oeconomicis certe vtiliſſimi, indicatione ſubſiſtamus; cum curatior methodorum variarum explicatio, vix, niſi additis iconibus ſatis conuenienter dari poſſit.

VII.

Diſſertation Latine ſur la queſtion propoſeé par l'académie Royale des ſciences de Bordeaux; Quelle eſt la meilleure maniere de ſemer, planter, provigner, conſerver et réparer les bois de chêne; avec ſa traduction en François: pièce qui a remporté le prix de cette académie, en 1759; par M. CHRISTOPHE GODEFROI IACOBI, docteur en l'univerſité de Gottingue, membre de la Societé Royale de cette ville, et bibliothécaire de M. le Comte DE STOLBERG. à Bordeaux, chés P. R. Brun. 1760. 4. pagg. 42.

h. e.

Commentatio ad quaeſtionem Regiae ſocietatis Bordegalenſis, de praeſtantiſſima quercuum cultura, Auctore CHRISTOPHORO GODOFREDO IACOBI. Latine et Gallice.

Diuidit Cl. Auctor, non habita botanicae diuiſionis ratione, *Quercus* in *auguſtas*, quae glandes ferant maiores, longis affixas pedunculis, et *paſtillicantes*, quibus glandes accumulatae et ramis proximae ſint, et vulgo *Ilices* dicantur. Amant quercus ſolum mixtum terra pingui, humidulum; laeteque ibi creſcunt, vbi antea vel quercus, vel aliae p. 4. p. 6.

aliae arbores cultae fuerunt. Nocent iisdem ani-
p. 11. malium morsus, omnisque attritus. Vt feliciter succeſſu ſemina quercuum ſerantur, campi quotannis vel ſemel ſaltim aratro ſunt dimouendi, vel eorum priori verſae terrae ante glandium ſatum denuo ſunt circumarandae: in *montibus* vero et *collibus* lignorum ope, aut paſtinando radii huc illucue ducendi ſunt, omnesque tractus iterum ad aequalitatem redigendi. Glandes maturae ſiccae vel ipſe
p. 13. eodemque, quo maturuerunt, autumno, vel, ſi hoc fieri nequeat, caute per hiemem ſeruatae, vere ſerantur. Rationes quibus conſeruentur, atque ſerantur Noſter addit, monetque, melius ſemina largiter, quam parce inſeri. Vt lolium, quod quercus ſuffocet, praeuertatur, glandibus vel mense, vel, quod melius eſt, betulae ſemina ſunt mon-
p. 27. ſcenda. Quercus ſatu minores optime transplantantur autumno vel hieme; curandum vero eſt, ne radices laedantur, ac praeſertim, ne radices tenuiores et imae nequaquam decerpantur aut recidantur. Palis non alligandi ſunt transplantatae quercus, cum ita vento aliisque cauſſis facile atterantur; ſed quatuor tantum pedes inter ſe diſtantes collocandae. Praeterea conuenit, quercus iuniores aliis arboribus
p. 34. interlocare. Vt conſeruentur quercus, primo plantarum radices denudatae iterum deprimendae et firmandae; deinde aquae ſtagnantes deriuandae, omniaque, quae iis noceant animalia, arcenda: tum ramorum conſtructio relinquenda eſt ipſis arboribus, neque rami interiores amputandi; denique in caedendis arboribus id videndum, vt nigrae adhuc caedantur, quo ex iunioribus ſurculi noui progerminent, atque ſiluae caeſio a parte ſeptentrionali incipiatur, ne iunioribus obſint venti auſtrales ac pruinae autumnales.

VIII.

VIII.

Mineralogiſche Beluſtigungen zum Behuf der Chymie und der Naturgeſchichte des Mineralreichs. Dritter und vierter Theil. Leipzig, bey Ioh. Friedrich Heineck und Faber, Buchhändler in Copenhagen, 1769. Seit. 948. Mit 9 Kupfertafeln.

i. e.

Deliciae mineralogicae, ad augendam chemiam et hiſtoriam naturalem regni mineralis collectae. Vol. III. IV.

Iam ſequitur, vt, quum priores huius libri, lectu perdigni et vtilis, partes cum Lectoribus communicauerimus, etiam reliquas proponamus, quae non minus elegantes continent tractationes, etſi earum plurimae iam a nobis recenſitae inueniuntur. Voluminis tertii ſunt ſequentes: Vol. III.

1) Cl. GVETTARDI *conſideratio ſoli* Poloniae, *mineraliumque, quae in eo reperiuntur;* ex act. Reg. acad. ſcient. Pariſ. 1762. *) p. 3.

2) EIVSDEM *obſeruationes mineralogicae, ſuper* Gallia Germania*que inſtitutae;* ex iisdem 1763.**) p. 82.

3) *Deſcriptio quarundam minerarum mercurii, quae in* Palatinatu, *ducatu* Bipontino, *aliisque vicinis locis reperiuntur: huic addita eſt noua earum partitio,* Auctore Cl. COLINO; ex act. Palatin. T. I. Cum minerae mercurii nondum ſatis diſquiſitae Cl. Auctori viderentur; eas ſtudioſius diſquiſivit,

*) vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 468.
**) vid. ib. Vol. XVI. p. 471.

vit, atque in ſyſtematicum ordinem, quem nouum putat, redegit. Deſcribit primo ſingulas mineras ex ordine locorum, in quibus inueniuntur, ita quidem, vt eas, quoad qualitates externas delineet, et earum naturam conſtituat propriam; deinde vniuscuiusque varietates et fortuitas mutationes ſubiungat. Ex his propoſitis mineris format earum ſyſtema, easque in vndecim diuidit claſſes, quibus ſingulis genera, ſpecies, varietatesque, ſi dantur, ſubiungit: quas breuiter hic excerpamus: 1) Mercurius virgineus fluidus, octo ſeſe offerens diuerſis formis. 2) Mercurius virgineus, argento natiuo commixtus, et in maſſam viſui homogeneam, friabilem, ponderoſam et nitidiſſime albam coalitus. Amalgama argenti natiui, et mercurii virginei a natura peractum: quam mineram conſpicitur vel maſſa informi, vel bracteatam. 3) Minera mercurii ſolida, ponderoſa, metallum referens, tritura terrea, ſulphure et ferro mineraliſata: quae vel fulua, vel rubra eſt, ſingulaque earum ſex ſpecies habet. 4) Minera mercurii lapidea; vel rubra, vel verſicolor, vel lateritia, vel pallida, vel argillacea, vel griſeo coerulea. 5) Minera mercurii terrea, quae etiam eſt vel rubra, quae 6 ſpecies, priorque harum 7 varietates habet; vel verſicolor, vel coloris lateritii, vel badii, vel fuſco lutei. 6) Minera mercurii rubra cryſtalliſata, vel opaca, quarum prima ſeptem, altera tribus diuerſis formis conſpicitur. 7) Minera mercurii nigra, bitumine commixta; 8) fiſtuloſa, colore extus cinereo, tritura rubens; 9) alba ſplendens, metalliformis, friabilis, fractura nitente, in igne ſummopere crepitans, ſulphure et cupro mineraliſata; quae eſt vel alba, vel griſea, vel griſeo nigricans. 10) Minera mercurii ſpathacea, et 11) arena, terra mercuriali rubra et ochracea flaua conglutinata.

4) Cha-

4) *Commentarius de vaporibus inflammabilibus in* p. 211.
ntis carbonum circa Brigantium, Auctoribus Cll.
DU HAMEL, HELLOT et MONTIGNY; ex me-
mor. Pariſin. 1763. *)

5) Cl. GVETTARDI *tractatio de ochra;* ex p. 220.
memor. Pariſ. 1762. **)

6) Cl. MONTETI *tractatio de montibus, qui* p. 249.
dim igniuomi fuerunt, in Occitania inferiori *inue-*
niendis; ex memor. Pariſ. 1760. ***)

7) Cl. MARGGRAFFII *tractatio de lapidibus,* p. 263.
qui, calcinatione peracta, lucem ſpargunt; ex act.
Berol. T. V. ****)

8) EIVSDEM *continuatio prioris tractationis,* p. 282.
cum deſcriptione modi, quo hi lapides arte parentur;
ex iisdem T. VI. †)

9) Cl. MONTETI *tractatio de* ſubere mon- p. 307.
tano (*Aſbeſto ſolidiuſculo* LINN.) *quod in monte*
Moreſes, *in territorio* Aleſienſi *ſito, inuenitur;* ex
mem. Pariſ. 1762. ††)

10) Cl. BARONI *examen terrae princi-* p. 347.
palis in alumine; ex memor. Paris. 1760. †††)

11) Cl. ELLERI *experimenta circa ſangui-* p. 359.
nem humanum; ex act. Berol. T. VIII. ††††)

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 472.
**) vid. ibid. Vol. XV. p. 456.
***) vid. ibid. Vol. XIV. p. 600.
****) vid. ibid. Vol. I. p. 394.
†) vid. ibid. Vol. I. p. 394.
††) vid. ibid. Vol. XV. p. 476.
†††) vid. ibid. Vol. XIV. p. 595.
††††) vid. ibid. Vol. III. p. 238.

p. 379. 12) *Tractatio de docimasia auri argentique*, Auctoribus Cll. HELLOT, TILLET et MAQVER; ex mem. Paris. 1763. *)

p. 397. 13) *Tractatio de ratione, alcali fixum crystallisandi*, Auctore Cl. MONNETO; ex iisd. 1764. **)

p. 402. 14) *Observationes de exhalatione corporum fluidorum, in frigore magno*, Auctore Cl. GAVTERON; ex act. Monspessul. T. I. ***)

p. 422. 15) *Annotationes super quantitate argenti, quae, si docimasia cum eo instituitur, remanet*, Auctore Cl. TILLETO; ex memor. Paris. 1762. ****)

p. 432. 15) EIVSDEM *tractatio de argenti sub cupellatione apparenter aucto ponderis augmento, et de vero plumbi, in lithargyrium mutati, pondere*; ex iisd. 1763. †)

Vol. IV. Quartum volumen sequentes offert tractationes:

p. 3. 1) Cl. TILLETI *tractatio de explorations auri argentique*; ex act. Paris. 1760. ††)

p. 29. 2) Cl. GVETTARDI *tractatio de osse, quod d. 28 ian. 1760. in quadam rupe circa Aquensem vrbem, in* Gallia prouinciali *sitam, inuentum est*; ex mem. Paris. 1760. †††)

3) Cl.

*) vid. comm. nostr. Vol. XVI. p. 468.
**) vid. ibid. Vol. XVII. p. 263.
***) vid. ibid. Vol. XV. p. 219.
****) vid. ibid. Vol. XV. p. 454.
†) vid. ibid. Vol. XVI. p. 469.
††) vid. ibid. Vol. XIV. p. 599.
†††) vid. ibid. Vol. XIV. p. 592.

3) Cl. DAVBENTON *tractatio de ossibus denibusque pernagnis*; ex mem. Paris. 1762.*) p. 45.

4) Cl. MATTE *examen chemicum lithophyti*; ex act. Monspess. T. I. **) p. 85.

5) Cl. POTTII *de praeparatione vasorum, quae vehementissimum ignis gradum ferant, atque quibus in fluxum redacta corpora optime seruentur*; ex act. Berol. T. VI. ***) p. 83.

6) *Tractatio de chemico quodam coagulo*, Auctore Cl. MATTE; ex act. Monspess. T. I. ****) p. 147.

7) Cl. MARGGRAFFII *noua argentum depurandi methodus, per acidum salis communis*; ex act. Berol. T. V. †) p. 161.

8) EIVSDEM *annotationes de oleo, ex formicis expresso; quibus tentamina accedunt, cum acido earum instituta*; ex act. Berol. T. V. ††) p. 171.

9) Cl. GVETTARDI *tractatio de lapidibus salinis, quos dicit*; ex act. Paris. 1763. †††) p. 196.

10) EIVSDEM *tractatio de fodinis salis gemmae, quae* Wieliczkae *in* Polonia *inueniuntur*; ex mss. 1762. ††††)

*) vid. comm. nostr. Vol. XV. p. 468.
**) vid. ibid. Vol. XV. p. 200.
***) vid. ibid. Vol. II. p. 431.
****) vid. ibid. Vol. XV. p. 208.
†) vid. ibid. Vol. I. p. 387.
††) vid. ibid. p. 390.
†††) vid. ibid. Vol. XVI. p. 470.
††††) vid. ibid. Vol. XV. p. 472.

p. 225. 11) Cl. ELLERI *experimenta de conſervatione ſanguinis aliorumque corporum fluidorum, per plures annos in vacuo, abſque corruptione*; ex act. Berol. T. XIII. *)

p. 239. 12) EIVSDEM *diſquiſitio de fertilitate terrae*; ex act. Berol. T. V. **)

p. 256. 13) Cl. BONI *chemicum examen ſerici aeruginarum, cui addita eſt modus* eſſentiam *ſic dictam* Mindereri peſſulanam *parandi*; ex act. Monſpeſſul. T. I. ***)

p. 265. 14) Cl. GVETTARDI *tractatio de ſimilitudine, quae intercedit corallia inter et tubulos marinos atque hos inter et teſtacea*; ex mem. Pariſ. 1760. ****)

p. 309. 15) *Breuis relatio de fodinis et officinis metallicis circa* Rammelenſem *montem, qui in* Brunſuigico *et* Luneburgico *territorio poſitus eſt, inueniendis, exarchiuis et originalibus tracta*, Auct. Cl. HAREMBERGERO Praepoſito; ex relat. Brunſuigic. 1757. Recenſentur hic fata fodinarum harum officinarumque metallicarum ab OTTONE magno ad ſeculum vſque decimum ſextum; quae vero a nobis, cum propius ad nos non pertineant, non fuſius excerpenda ſunt.

p. 314. 16) *Tractatio de quibusdam auxiliis et impedimentis, quibus cognitio naturae et apud doctos, et indoctos vel augeatur, vel imminuatur*; Auctore Cl. LANGIO, Profeſſore. Quamquam publica principum

*) vid. comm. noſtr. Vol. VIII. p. 630. ſeq.
**) vid. ibid. Vol. I. p. 385.
***) vid. ibid. Vol. XV. p. 206.
****) vid. ibid. Vol. XIV. p. p. 590.

ipsum auxilia, atque proprias opes, instrumentaque artium multum ad augendam naturae cognitionem conferre Cl. Auctor concedit; eos tamen, qui his careant, vel etiam, qui plane non instructi sint, habeant autem vim inueniendi iudicandique eximiam non omnino a studiis esse arcendos, quin imo posse, si operam adhibeant, nouas, nec dum detectas veritates reperire, affirmat: regulas, quae obseruandae sint, proponit, atque exemplis illustrat. Primo praecipit, vt res communes maxime attendantur. Ex neglectu huius regulae multa sequi incommoda, libros virorum doctissimorum non intelligi, indeque artes plurimas tam diu latuisse ostendit, et exemplo, inter alia, figurarum, hieme in fenestris a glacie vario modo distributa enascentium, illustrat; vtpote in quas MAIRANVS, cum in Gallia raro fiant, inquisiuit primus; quamquam falso rem declarauerit, cum non in vitro, sed in motu aeris externi caussa ponenda esset.

Alteram regulam, qua mirabilia naturae attenden- p. 328.
da, caussasque eorum diligenter scrutandas suadet, illustrat exemplis a mutatione et effectis glaciei, additis, quae in aquis salinis gelu fieri vidit. In salina enim solutione cum aqua vel niuis, vel glaciei summo frigori exposita, sedimentum conspexit cuborum salinorum, sub quibus oblongae, hexaedrae, planae, pellucidae crystalli positae erant; quae tamen, moderata tempestate disparebant In alio vitro, figurae rotundae, longo collo praedito, cum solutione cinerum clauellatorum repletum, aerique libero expositum esset, vidit cubos salis communis, sibi ita impositos, vt pyramidem aemularentur. Crystallisatio lunae cum mercurio, frigori exposita, offerebat fuscas, pellucidas, aemulantes topazi crystallos, quae etiam calidiori tempestate euanescebant. Deinde solutionem salis com-

munis et gemmae cum aqua fontana, cum frigori exponeretur, vidit cryſtallos hexaedras formare, et inde colligit, gelu ex aqua ſalina terram ſelenititicam expellere, quae has cryſtallos formet. Etiam vitrioli oleum frigore in cryſtallos cogi expertus eſt, quae difformes ſint, earumque plurimae cryſtallis ſalis mirabilis GLAVBERI ſimiles: ſimulque ita impurum a puriori oleo ſeparari cognouit.

p. 339. Tertio, cum in natura notabilia paullatim, vel inopinato fiant, attendendum et expectandum eſſe HENKELII exemplo probat. Sumſit ille *) vrinam hominis, qui cereuiſiam abunde biberat, atque ſepoſuit: poſt quatuor annos vidit, vitro appoſitas priſmaticasque cryſtallos, quas quidem ſalinas habebat; lapideae tamen erant, et ſeleniticae videbantur. Quam rem ad generationem calculorum conferre addit.

p. 342. Quarto praecipit, corpora naturalia tam indigena, quam extera attendere, quod in libro, qui *Spectacle de la nature* inſcribitur, factum dicit.

p. 346. Cognoſcantur quinto vniuscuiusque loci dotes naturae et hominum qualitates. Denique ſexto monet, ne quid, quod vile, vſitatum inutileque videatur, reiiciatur; ſed vlterior eius vſus attendatur.

p. 1. 17) *Deſcriptio ſalinarum Pecarienſium*, Auct. Cl. MATTE; ex act. Montiſp. **)

18. *Vberior earundem ſalinarum deſcriptio*, Auct. Cl. MONTET. ex act. Pariſ. 1763. ***)

19)

*) vid. EIVSDEM *Pyritologiam* p. 354. et librum de *lapidum origine*, p. 68.

**) vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 214.

***) vid. ibid. Vol. VI. p. 480.

19) Cl. MAQVERI *tractatio de varia solubilitate sallium mediorum in spiritu vini*; ex miscellaneis Taurinensibus. Cum proportio salium mediorum, qua spiritu vini soluerentur, nondum determinata, vtilis tamen scitu maxime esset: eam salibus neutris quibusdam, et iis quidem, quae tribus acidis mineralibus coniunctis cum variis alcalinis salibus atque cum variis metallis enascerentur, ad experimenta adhibitis, definitam Cl. Auctor offert. Salibus prius omnem aquam, quae ex crystallisatione remanserat, siccatione demsit, eaque ipse parauit. Spiritum vini sumsit, sola destillatione rectificatissimum factum. Atque tum commixta sala cum eadem semper spiritus vini quantitate, vnda nempe dimidia, coxit, ad crystallisationem seposuit, et vel euaporatione, vel flamma spiritum vini separauit. Nos quidem singula experimenta hic recensere non possumus; sed, quos forsan iuuaret eadem repetere, ad legendam tractationem remittimus; summam tamen salium, quae Cl. Auctori vel plane non, vel parumper, vel omnino solui visa sunt, referamus. Non soluebantur tartarus vitriolatus, sal mirabile GLAVBERI, sal ammoniacum secretum GLAVBERI, acidum vitrioli cum terra calcarea, vitriolum lunae, luna cornea, vitriolum mercurii, martis, et cupri; sal vero commune, nitrum et mercurii, et martis solutionem quidem subierunt, sed adeo paruam, vt ne definiri certe quidem posset. Contra nitrum, sal febrifugum SYLVII, nitrum cubicum, sal ammoniacum nitrosum, sal ammoniacum, nitrum et sal marinum cum terra calcarea, nitrum lunae, sublimatus mercurius, sal marinum martiale, et nitrum cupri terrae immixtum solui a spiritu vini, varia quidem ratione poterant. Ex his nitrum mercurii, cum peculiaria offerat phaenomena, vlterius se disquisiturum dicit; atque sal ma-

rinum cum terra cuprea, colorum mutatione attentione dignum, fusius cum succedaneis rationibus describitur, ex quibus productum aëramentum sympatheticum dici posse, et cum illo, quod a Cl. BAYME *) descriptum est, conuenire confirmat. Ex his, quamquam vlterius confici debeat moneat Cl. Auctor, colligit, salia neutra eo melius spiritu vini solui, quo debilius acidum eorum cum terra elementari coniunctum est; hanc tamen non vnam esse caussam, sed forsan materiam inflammabilem quidquam conferre. Vitrioli acidum, cum plane non solueretur, firmissime cohaerere, nitri acido, cum inflammabile contineat, neque tam fortiter cohaereat, plurima salia soluta esse, et flammam etiam mutasse: id quod etiam de salibus, acido salis comixtis, valeat.

p. 422. 20) *De calcis viuae actione in corpora varia tentatio*, Auctore comite SALVCE; ex miscell. taurinens. De ea calcis qualitate agit ill. Auctor, qua se cum parte inflammabili corporis coniungit. Quare experimenta instituit commiscendo calcem et cum sulphure, et hepate sulphuris vel simplici, vel addito acido vitrioli. Partes primo quatuor salis tartari cum sulphuris fusi parte vna commiscuit, soluitque in aqua: deinde calcis viuae partes quatuor cum fusi sulphuris parte vna: denique sex partes calcis, tres partes alcali fixi et sulphuris partem vnam. Qualibet hac mixtura, in retortam immissa, et balneo arenae impositа, sulphur in duabus prioribus sublimabatur, caput mortuum in commixtione calcis nigrum, hepatis sulphuris vero fuluum erat. In tertia nihil sublimabatur; sed humor acidae naturae in recipiens transibat, cum caput mortuum in medio nigrum, in mar-

p. 426.

*) vid. EIVSDEM chemia, 1757.

magine album esset, tactu pingue et salinum. Quod postquam soluisset, colasset et siccauisset, obtinuit substantiam albam, in lamellas se diuidentem, crystallos parvas, lucentes, irregularesque efficientem, praeditamque odore vrinoso. Repetito eodem cum alcali iam fluido facto experimento, eadem producti effecta vidit, praeter colorem, qui liquori erat obscurior; capiti autem mortuo coeruleſcens et niger.

Ratione ita mutata, vt calx alcaliue ad sulphur p. 428.
assent, vt 10: 1, vidit, hepar sulphuris dedisse magnam sublimati copiam albam, pinguem, atque aqua solubilem, solutione coeruleſcente. Quae solutio, si cum variis commiscebatur rebus, varias mutationes effecit, v. c. salis ammoniaci spiritu: vbi fermentatio existebat, odorque eius volatilis perdebatur; solutione euaporata, massa siccata floribus sulphuris similis erat. Inde colligit Ill. SAVCE, obtineri ita sal sulphuris, illi STAHLII simile, maiori tantum copia materiae inflammabilis praeditum. Ita etiam hepar sulphuris cum calce viua paratum, sublimatione disquisiuit duplici vice ita, vt altera vice sumeret 24 partes calcis et vnam partem sulphuris, et, quae obseruauerit destillando et cum aliis corporibus commiscendo, enarrat.

Deinde commiscuit sulphur cum sale tartari, et p. 434.
hanc mixturam oleo tartari immisit, in quo calx soluta esset, saturauitque acido vitrioli et destillauit balneo arenae: forti igne transiit humor limpidus, et sulphur alembici rostro apponebatur; fortiori igne albi flocculi sublimabantur. Rupto vase, vapores vrinosi exibant, atque, additis variis salibus, in liquore, qui in recipiens vas transierat, contineri sal alcali volatile cognouit.

Ex his colligi posse affirmat, sulphur multum mu- p. 443.
tari coniunctione cum calce et alcalinis salibus fixis, atque

atque principia eiusdem ita diuiſibilia fieri. Quod vt melius definiretur, ea iterum coniuncta demo diſquiſiuit, indeque confectum putat, calcem ſolvere ſulphur, dum partem inflammabilem in ſe ſuſcipiat, et pars acida intime cum ea coniungatur: id quod vlterius experimentis confirmat, et colligit, 1) magnam acidi ſulphuris partem eſſe mutatam in ſpiritum; 2) phlogiſti ſulphurei plurimam partem, cum calce coniunctam, volatilem fieri; 3) calcem omnem naturam ſuam exuere, et partem remanere, aqua non ſoluendam. Reliqua omittimus.

p. 450.

IX.

IO. FRID. ZÜCKERT. M. D. Acad. Caeſar. Leopold. Carol. N. C. et Elect. Mog. Sc. vtil. Sodal. materia alimentaria, in genera, claſſes et ſpecies diſpoſita. Berolin. 1769. 8vo. apud Aug. Mylium. Alpl. I. pll. 4 cum dedic.

Nefas foret tacere librum, qui rem alimentariam tanta cum plenitudine, accuratione et elegantia tradit, vt ante eum alius nullus. Vndique enim, et ex operibus pretioſioribus quoque hauſit Cl. Auctor, quae ad hocce argumentum pertinent: quaeque collegit, ita digeſſit, vt ordo naturae rei accommodatior nullus excogitari poſſet. Reſpexit ſcilicet potiſſimum ad chemica alimentorum principia, indeque pendentem virtutum diuerſitatem, qua in re multum ſibi profuiſſe Cl. CARTHEVSERI ſcripta, gratus profitetur. Partes libri ſecit duas. Prima generalem alimentorum conſiderationem, altera ſpecialem complexus eſt.

Igitur

Igitur ab initio nutritionis neceſſitatem et ali- p. 5.
menti naturam oſtendit, diſſentiens a Cl. DVRADE *), qui oleoſa nutrire negabat, et digeſtionem fermentando fieri aſſerebat. Noſter e contrario per extractionem ſubſtantiarum nutrientium, inprimis gelatinae et mucilaginis cibos digeri euincit. Alimentorum tria genera conſtituit; eſculenta, potulenta, condimenta. Eſculenta, pro copia ſucci nutritii, in polychyla et oligochyla; pro concoctionis, qua indigent, varietate, in eupepta, et dyſpepta; pro partium verq non nutrientium, ſed aliter corpus afficientium indole, in euchyma et cacochyma ſ. dyſchyma diuiſit. Multum ſucci nutritii ineſſe docet fibroſis, mollibus, dulcibus, ſubdulcibusque; porro farinaceis, dein gelatinoſis, aut plurimum pinguedinis oleiue vnguinoſi fouentibus. Parum e contra mucilagineo aqueis, et gelatinoſo aqueis. Dyſchyma vel acria ſalſa Ipſi ſunt, vel vrinoſo putrida, vel coriacea mucilaginea, vel leguminoſa ſeu mucilagineo terrea craſſa. Potulentorum claſſes duae. Primae aqueae inſunt tum ſimplicia, tum mucilagineo aquea, aromatico balſamica et acidulo dulcia; alteri ſpirituoſa, eaque dulcia, acidula ſubtiliora, acida acerba, acidulo dulcia, auſtera et auſteriuſcula, denique acria vrentia. Condimentorum genera ſunt dulcia, acida, oleoſa, ſalina, aromatico balſamica.

His alimentorum differentiis ſubiunguntur di- p. 17.
ſcrimina alia, quae cibis, inprimis animalibus, a genere, aetate, pabulo, habitu, partibusque animalium, vnde parantur, accedunt. Habetur por- p. 23.
ro ratio modorum, quibus alimenta praeparantur, et praeter culinarias operationes, piſtura, ars dulciaria et zymotechnia breuiter explicantur. Quum p. 28.
de panis coctione Auctor Cl. exponit, praeter inertes

et

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 350.

et nocentes herbas granis cerealibus admixtas, rubiginis quoque, vſtilaginis et fecalis cornuti mentionem facit, aſſumitque vltimum hoc granorum vitium neque odorem, neque ſaporem panis vllo
p. 40. modo mutare. Porro mangonia vini tradit facie plene, modosque ea detegendi, additque vaſorum,
p. 45. alimentis dicatorum, diiudicationem. Solam aquam calidam ramenta ſubtiliſſima cupreorum vaſorum ſoluere, probat ex cuticula variegati coloris, quae in ſuperficie aquae vel infuſi theae in ahenis cupreis cocti, et per nycthemerum aſſeruati, apparet. Ab
p. 46. obſtannatione nil boni exſpectat. Cochlearium, ex cupro albo confectorum, vſum ob arſenicum admixtum plane reprobat. Europaea porcellana, nimis ſplendens, ſuſpicionem plumbi adiuncti mouet.
p. 48. Vltimo traduntur ad victum ſalubrem obſeruanda. Minus ſalubrem victum iudicat merum carneum aeque, ac merum vegetabilem; neque laudat, ſi mollia, ſiue dura ſolum ingeruntur. Praefert morem bis de die cibum capiendi illi, vbi ſemel tantum comeditur. Vitare iubet eſum animalis morbidi cuiuſuis.

p. 60. Altera parte Cl. Auctor omnia alimenta in toto terrarum orbe, quotquot vſurpari conſtitit, ad ſupra dictas claſſes, genera et ſpecies reuocat. Nomina plantarum inprimis ex BAVHINO, rarius ex LINNAEO deſumit. Addit porro etiam alii botanicis vſitata, atque triuialia, vernacula, Gallica, Anglica, Belgica, Italica, aliaque. Nomini ſubiungitur ſimplicis cuiusuis qualitatum, partium conſtituentium, notarum bonitatis, praeparationis variae ſaepe et vtilitatis, vel noxae ſignificatio. Dicamus quaedam, loco ſpeciminis.
p. 91. Veruecinae carni ſubiunctus potus aquae melius conuenit, quam cereuiſiae, a qua cardialgia, colica

colici et tormina ventris proueniunt. Quae incommoda ab acido, pinguedinem coagulante, prouenire viri timorem iniicere possunt, ac si caro illa cum cucumeribus edenda non sit. Farcimina infumata, ob condimenta, eupepta et euchyma. Pernae crudae meliores elixis sunt. Ranae caro tabidis et hecticis commendatur.

Coturnicum recens in agris captarum caro, ob victum ex lolio temulento et helleboro venenatum suspecta. p. 104.

Ostreas crudas praefert assatis condituque, salubres iudicat, ne phthisicis quidem noxiosas. p. 114.

Facillime putat a globulis sclopeti, cum carne leporina simul deuoratis, et ab acido in primis viis erosis, sacharum saturni nociuum extiturum. Mifatur, limaces terrestres s. cochleas phthisicis a quibusdam commendari. Glans Fagea succedanea fructuum coffeae. p. 117. p. 130.

Ficuum esu hernias, scabiem, pediculos prouocari, temere creditur. Mora copiosius ingesta ventrem inflant, facile putrescunt, diarrhoeam excitant. Rubi idaei baccae, phthisicis adeo expetitae, facile in ventriculo corrumpuntur magna copia sumtae. Vuae infantibus modice dandae sunt, ne vermium generatio promoueatur. A prunis interdum dysenteria, neque tamen adeo frequenter, vt vulgo creditur. Cucumerum succus haud putrescit in ventriculo, ac quidem ille cucurbitarum et melonum. Si raphano cereuisia superbibatur, passiones colicae inde proueniunt. p. 169. p. 173. p. 190. p. 206.

Phytolaccae iuniora folia ab Americanis in olere eduntur et salubria habentur. p. 208.

Fructus Ananas nutrimentum praebere dicitur, facili corruptioni obnoxium, sanguinem inflammans, petechiales febres prouocans, morbos cun- p. 225.

ctos exacerbans; multoque magis nocere, si vel Arack, vel vinum Hispanicum superbibatur.

p. 249. Piscium esculentorum, quibus insecta comestibilia, quae pauca sunt, iunguntur, copia est numerosa. Multus quoque est Cl. Auctor in exponendis fungis, qui in cibum vertuntur.

p. 259. Incolas Goslariae arthriticos fieri ex vsu Gosae, cereuisiae in vrbe ista coqui solitae; cuius tamen vis nutriens, diuretica, diaphoretica, pectoralis, stomachica, nec non praeseruatoria a febribus intermittentibus et calculo simul laudatur.

p. 322. Theae potus noxius esse probatur. Calide tamen sorptus salubrior est, quam tepide. Quae theae substitui possit, planta, quaeque ei similima sit, eam adhuc desiderari fatendum est.

p. 330. Potum coffeae orientalis, vt medicamentosum praefert eius succedaneis, a quorum tamen vsu quotidiano minorem noxam produci putat, quam ab isto quouis die sumto.

p. 335. De vinis plene satis expositi Cl. Auctor. In condimentorum numero asae quoque foetidae atque opii mentio iniicitur. Adiectus est index rerum et nominum, ex variis linguis laudatorum, amplissimus.

X.

IOHANN FRIEDRICH ZÜCKERTS, *der A. G. Doctor, medicinisches Tischbuch, oder Cur und Präservation der Krankheiten durch diätetische Mittel. Berlin bey Aug. Myl.* 1771. 8vo. *min. S.* 354. *nebst Vorrede.*

h. e.

Liber cibarius medicinalis s. morborum cura et praeseruatio per remedia diaetetica Auctore IOANNE FRIDERICO ZÜCKERT.

Vti priore libro Cl. Auctor alimentorum, quae a sanis vsurpantur, doctrinam exposuit: ita hoc alimenta, eaque composita quoque, variis aegrotis aegrotaturisque proficua futura recenset. Quum vero iusto alimentorum bene selectorum vsu plus saepe in morbis tum praecauendis, tum curandis medicus possit, quam per cuncta alia remedia, apparet, quam acceptus eiusmodi liber vel aegrotis ipsis, vel et iunioribus medicis esse debeat.

Post introductionem, quae primae partis materiae alimentariae epitomen sistit, praeparatio et vsus multorum remediorum diaeteticorum vtilium traditur, formulaeque potuum atque ciborum selectissimorum ex scriptis Cl. BEHRENS, BOERHAAVII, BENNETI, FOVQVETIAE, GEOFFROI, DE HAEN, HELVETII, FR. HOFFMANNI et VNZERI haustae exhibentur.

Postea, quaenam in qualibet maxime frequentium morborum cura atque prophylaxi vel eligenda, vel vitanda sint circa victum, ostenditur. Morbi, quorum diaetetica curatio, ordine nominum ipsorum alphabetico adhibito, traditur, sunt atro-

phia infantum, morbi contagioſi, aſthma, effloreſcentiae, tabes, flatulenti affectus, chloroſis et fluor albus, haemorrhagiae, vomitus, ſpaſmus pectoris, diarrhoea, rhachitis, debilitas et languor conualeſcentium, inflammationes, epilepſia, febres acutae, intermittentes et catarrhales, morbi bilioſi, icterus, vlcera et cancer, arthritis, rheumatismus, podagra, haemorrhoides, tuſſis, malum hypochondriacum, morbi puerperarum, ſpaſmi, paralyſis, phthiſis pulmonalis, cardialgia, melancholia, variolae, dyſenteria, apoplexia, imbecillitas, vertigo, calculus, obſtructio glandularum, menſtruorum et alui, hydrops, vulnera, vermes.

XI.

Abrégé de matière médicale, ou l'on expoſe la nature, les vertus et les doſes des drogues tant ſimples que compoſées, qui entrent dans la confection de coffres de médicamens deſtinés au ſervice des vaiſſeaux, fregates et autres bâtimens du Roi à l'uſage des chirurgiens de la marine. Par M. MAISTRAL Médécin du Roi et de la marine à Preſt. à Paris 1770. chez R. Malaſſis 12. Tom. I. pagg. 450. Tom. II. p. 428.

i. e.

Tractatio de materia medica, Auctore Cl. MAISTRAL. Tom. I. et II.

Tom. I. p. 52. Sanitate et morbo a Noſtro conſideratis, remedia ad profligandos morbos ſunt vel ſimplicia, vel compoſita, vel externa, vel interna; ad illa et Noſter euacuationes ſanguinis artificiales refert. Actio medi-

medicamentorum in motu particularum relatiuo ſita eſt, et in primis viis, ſanguine et neruis cernitur. Quae igitur canalem inteſtinorum feriunt, in illis acres particulae deliteſcunt, ideoque facile vaſa chylifera petunt; quae ſanguinem attingunt, in iis multo tenuiores et, quae in neruos agunt, omnium ſubtiliſſimas recondidit natura.

Rhabarbari, praeter multas alias virtutes, vis roborans, anthelmintica et febrifuga inprimis laudatur, et ſingulari plane eius amaritiei adſcribitur. Corporibus ſiccis autem, morbis pectoris, cadori febrili intenſiori non conducit, imo vſus eius protractus dyſenteriam leuiorem producit. Radix ialappae praeſtantiſſimum eſt hydragogum. Sunt, qui de hac ob nimiam irritationem valdopere timeant, quos Noſter refutat et tum vnum vel duo opii grana addenda ſuadet. p. 123.

Ipecacuanha continet partes reſinoſas et gummoſas, his purgandi, illis vomendi effectum Noſter adſcribit. Ceterum deprehenditur illa efficax in dyſenteria, non vero ab initio, quoniam inflammationi ſeruit: porro in fluore albo, teneſmo, aſthmate et obſtructionibus inueteratis. p. 137.

Radicem liquiritiae, ob vim temperantem et expectorantem ſatis notam, ſi diu coquitur, acrimoniam et inſignem amaritiem acquirere Noſter obſeruauit. Cum ea conuenit radix graminis, lithontriptica quoque praeterea virtute praedita. Ineſt ei et ſal quoddam nitroſum, tuſſim excitans, adeoque graminis radix in peripneumonia et pleuritide eſt reiicienda. p. 157.

Flores papaueris rhoeados non omnibus pectoris morbis conueniunt. Calorem enim inducendo corpori, augent inflammationem. Sudorem et inde promouent. Flores ſambuci non in ecchymoſibus, aneuryſmatibus et varicibus tollendis p. 205.

laudat, vti alii; in ſu[illegible]o gradu inflammationis nocent.

p. 233. In inflammatione ventriculi et reliquorum ventris viſcerum pulpa caſſiae commendatur a Noſtro, abſentibus tamen reſolutionis ſignis. Addit lubenter ei carminatiuum, quoniam acidum eius peculiare in hypochondriacis flatus auget. Illa porro, cataplasmatis forma applicata, oculorum inflammationes atque haemorrhoides leuat.

p. 244. Amygdalae dulces inter optima analeptica numerantur. Non rite maſticatae ſuccum gaſtricum deſtruunt, membranas ventriculi relaxant, vaſaque exhalantia et reſorbentia obſtruunt. Emulſiones itaque inde paratas praefert, quae externe applicatae iuuant oculorum inflammationem.

p. 293. Corticis Peruuiani principem actionem in roborandis ventriculi fibris ponit Cl. Auctor, atque eum aſſerit, qui facile irritentur eo. Cum lacte, radice althaeae et emulſionibus mixtum corticem ferre commodius ventriculus. Mollities fibrarum, reſolutio, pus malignum, ſi non indicant putredinem humorum, ſed ſubeſt inflammatio, cortici contraindicant.

p. 340. Balſama naturalia interne et externe poſſunt adhiberi. Interne, abſente febre, et digeſtione, quae lubenter laedunt, peracta. Copaiuam, ob peculiarem adſtringentem vim, ceteris balſamis praefert. Indoles eius acido volatilis, vim tonicam conſtituit, influxum ſpirituum copioſiorem illic, vbi applicatur illud, derivat. Externe in partibus tendinoſis vtilis cenſetur. Vrinae odorem ex eius vſu eſſe violaceum contra FVLLERVM affirmat.

p. 400. Alumen, quod in omnibus omnino haemorrhagiis ab HELMONTIO ſuadetur, valde nocet in haemorrhagiis criticis: porro in febribus acutis, dyſenteria et in vniuerſum, ſi plethora vrget. Quapropter tum venaeſectio, aut alia ſanguinis emiſſio

ius eius vſui eſt praemittenda. In vomitu cruento, et in ſanguinis poſt partum profluuio bonum alumnis Noſter expertus eſt effectum.

Sed haec hactenus ſimplicia; iam in altera parte compoſita Noſter perſequitur remedia. Qua in re ita Cl. Auctor verſatur, vt cuiuscunque remedii praeparationem virtutesque deſcribat, adiectis plerumque et ſuis animaduerſionibus. Tom. II.

Confectionibus *de hyacintho* et *de hamech* parum tribuit virium, et poſteriorem, ob peruerſum ingredientium ſelectum, inprimis draſticorum plane proſcribit. p. 1.

Oculi cancrorum, cum acido corporis humani miti, obtinent indolem ſalſam, quam Noſter in affinate et praecipue in ſanguine extrauaſato reſoluendo valde efficacem commendat. In infantibus, acido primarum viarum laborantibus, oculi cancrorum laxantem et anthelminticum praebuerunt effectum. p. 87.

Praecipua virtus laudani opiati in rarefaciendo ſanguine, eumque multo fluidiorem reddendo ſita eſt. Vaſis ſanguiferis vero non rite euacuatis, cauto adhibendum eſt. In diarrhoea, dyſenteria et cholera magnopere laudatur. Vis eius expanſiua optime caſtoreo et inprimis eius eſſentia corrigitur. p. 133.

Praeter vim emollientem et reſoluentem olei olivarum, et anthelmintica aeque, ac emetica in cenſum veniunt. In colica nephritica, prae ceteris, hoc oleum egregie ſe commendauit. Folia oleae inflammatis faucibus, gargariſmatis forma adhibita, ferunt. p. 251.

Flores hyperici, virtute aperitiua, vulneraria et carminatiua praeditos, aquae ſi infundantur, nihil virium exſerere Cl. BAVME affirmat, et Noſter negat. Infuſum aquoſum colorem flauum atque p. 270.

odorem fortem, ſpirituoſum, colorem purpureum monſtrat. Oleum vero oliuarum nihil extraxit: inde oleo hyperici non aliae inſunt vires, ac oleo oliuarum.

XII.

Lettres périodiques ſur la méthode de s'enrichir promptément, et de conſerver la ſanté, par la culture des végétaux. Par M. PIERRE IOSEPH BUC'HOZ, Médecin Botaniſte Lorrain, et de feu le Roi de Pologne Membre du Collége Royal des Médecins de Nancy, et de pluſieurs Academies. Tome ſecond. à Paris chez Durand neveu. 1769. Alph. 1. pl. 3. Tome troiſieme. ib. eod. Alph. 1. pl. 4.

i. e.

Epiſtolae de methodo, qua quis per culturam vegetabilium et diues fieri, et ſanitatem ſui ipſius conſeruare queat. Auctore PETRO IOSEPHO BUC'HOZ, M.D. Tom. II. et III.

Tom. II. Qua inceperat Cl. Auctor ratione *), varias res notabiles et ad botanicam, latiore ſenſu ſumtam, pertinentes tractare, et per quaedam temporis interualla ſingula capita, prout res et occaſio ſuppeditarent, ſeorſim proponere; ea iam vberius continuat et tomis duobus, quos hic ſiſtimus, cum Lectoribus, variarum plantarum vſum et hiſtoriam amantibus, communicat: in qua tamen collectione non poſſumus non confiteri, multa reperiri, quae et ſatis nota ſint, et interdum experien-

*) vid. comm. noſtr. decad. ſecund. ſuppl. I. p. 160.

tae confirmatione careant. Nos igitur his non immorabimur, potiora ſaltem momenta indicaturi.

Epiſtola vigeſima prima, trigeſima octaua et quadrageſima ſexta, tradunt plantas, quae morbis animantium brutorum medentur, ita quidem, vt ex remediis, quae in hominibus adhiberi ſolent, nonnulla ſeligat, eorundemque doſin, experimentis Cl. DVRANDAS confirmatam, conſtituat, atque vſum et vim addat. p. 3. p. 273. p. 401.

Cupreſſum ſemperuirentem LINN. eiusque vſum confiderat Cl. Auctor, atque ex eo culturam eius in Gallia valdopere commendandam eſſe colligit, cum in ſolo arenoſo laetiſſime proueniat. Varietatem alteram, quam *marem* dixit TOVRNEFORTIVS, alteri, ab eo *femina* dictae, praefert, quoniam tempeſtatum iniuriis reſiſtens celerius creſcit. Lignum huius arboris, quod odorum eſt, neque facile vel putredine, vel inſectis corrumpitur, vſibus oeconomicis admodum conuenit; eiusque odor fragrans, quem in aërem ſpargit, creditus eſt, exhalationibus balſamicis homines, labe pulmonum affectos, ſanitati reſtituere. Fructus puluerisatus extus ſtypticus, intus vero febrifugus habetur. Folia, vino infuſa et cataplaſmatis forma impoſita, ſtrumis, tumoribus oedematoſis et herniis curandis conueniunt. His ſubiungit copioſe ſatis deſcriptam, ſerendi et colendi hanc arborem methodum, atque *Cupreſſi diſtichae et thyoidis* L. mentionem iniicit. De harum arborum cultura et vſu vberius poſtea in epiſtola vigeſima octaua diſſerit, vbi loca humida limoque repleta iis conuenire affirmat. p. 17. p. 28. p. 113.

Enumerant epiſtolae viceſima tertia et quarta, trigeſima prima, et quadrageſima plantas, quae brutis, inprimis domeſticis et equis pabulo ſeruiant vel noceant. Ill. LINNAEVM diligenti obſeruatione plantas animantibus brutis vel conuenientes, vel p. 33.

nocentes primum annotaſſe perhibet. Illa cautelas, ſi quis hunc in finem pecoribus plantas ſpargere velit, obſeruandas addit.

p. 53. Quibus nocent praecipue Andromeda et Ledum. Equis conuenire dicit plantas ad tetradynamiam LINN. pertinentes, *Sanguiſorbam*, *Ribes nigri* et *Vlmi* folia; et plantas venenatas adeo, quod maxime miramur, *Cicutam*, *Sium*, rel. pabularias dicit.

p. 65. Viceſima quinta deſcribit *Aſplenium Ceterach* LINN. Quod ſat copioſe in Hiſpaniae fiſſuris rupium náſcitur. In medicina propter vires ſplenicas et diureticas iam dudum inclaruit; vires lithontripticas efficaces Cl. MORAND nuper obſeruauit. Tantum vero abeſt, vt Noſter haec effecta viderit, vt potius Vuam vrſi ſemper praeferat, de cuius virtute obſeruationes aliorum ſubiungit. Lycopodium et Phaſeolum vulgarem in doloribus nephriticis commendat.

Inter arbores venuſtas et excelſas maxime eminet Platanus, cuius hac epiſtola ſat amplae et generis et ſpecierum definitiones exhibentur. Cultura P. Occidentalis, cum, ſi ſolo humido imponatur, celerrime increſcat, alteri praeferri meretur. Quoad tranſplantationem multa cum Tilia communia habet, de qua paullo inferius. Ad vſus oeconomicos, ob lignum non facile corruptibile, et colorem rubrum, qui inde conficitur adhiberi ſolet. Neque Platanus Orientalis, cuius indolem balſamicam ad aërem repurgandum laudat, ſua carebit vtilitate. Lignum ad exſtruendas naues, folia vero ad delendas inflammationes, praecipue oculorum, colliguntur.

p. 97. Viceſima ſeptima machinam nouam, cuius opefumi facile ad vterum ipſum duci queant, deſcribit. Orificium eius immediate vterum attingit, per

per quod fumus, ex plantis aromaticis, gummatibus et resinis, exsurgit. His suffimigiis in herniis vteri, in malo hysterico, vlceribus vteri et in restituendo tono fibrarum magnam adscribit vtilitatem; quae tamen, adiunctis aliis remediis, decocto ex herbis adstringentibus, per iniectionem vtero applicandis, omnino maior erit. In sexu potiori fumos ex sulphure in affectionibus haemorhoidalibus commendat.

Cum Cll. DE HAEN et VELSIVS in foliis aurantiorum virtutem non satis admirandam, contra insultus conuulsiuos, dolores colicos et vomitum eorum comitem, deprehendissent: Noster exposita inuentionis historia, quasdam obseruationes Cl. LOCHERI, circa vsum eorum in apoplexia, addit, iisdemque duas suas apponit. p. 129.

Cedrum libani, optime ab Ill. TREW*) descriptam, loca arida, vbi aliae arbores non facile proueniunt, valde amare affirmat, ideoque culturam eius in Gallia praecipit. Lignum, cum iniuria temporum aegre laedatur, ad exstruenda aedificia, et varia vtensilia paranda non leue affert emolumentum. Resina vlcera probe mundat et exsiccat. p. 145.

Licet *Thuia* LINN. propter alias nouissime introductas arbores, paulisper ab eo pretio, quo olim fuit, deflexerit; Cl. Auctor tamen illam, ob varias virtutes, oeconomis commendat. Lignum eius Cedro non posthabetur; vsus vero in medicina ferme exoleuit. Transportatur ex China alia species, quae LINNAEO Orientalis dicitur; haec vsibus oeconomicis et medicis valde accommodata est. p. 177.

Quum apes pro anni temporum varietate varias inuadant plantas; eas Noster eo ordine recenset. Tempore vernali flores napi cupide arripiunt p. 193.

*) v. comm. nostr. Vol. VII. p. 147.

piunt, indeque ſat largum mel conficiunt. Nec minus ad glandulas nectariferas bulboſarum plantarum, et ad aromaticas volitant, inter quas ſerpillum et crocus eminent. Ex fagi et tiliae floribus dyſenteriam quandam reportant, quae, niſi tam Iaponica, melli immixta, ſuccurratur, interitum earum certiſſime promouet. In plantis venenatis plerumque magna mellis copia deliteſcit, quod ab illis exſuctum et hominibus ingeſtum, ſymptomata peſſimae notae protuliſſe ſe adnotaſſe ait.

p. 209. Anno 1768 Nanceii, metropoli Lotharingiae, quercus quinquaginta pedum ſub terra inuenta eſt, cuius rami, terra circum circa effoſſa, bene conſeruati comparuerunt. Labore viterius protracto, magna copia harum arborum apparuit, in, vt ſyluam quaſi ſubterraneam repraeſentarent. Color earum niger, vt in Ebeni ligno, deprehendebatur. Inter has quercus et cadauer humanum optime conſeruatum viſum eſt: originem huius tam horrendi ſpectaculi Noſter a transmigrationis tempore Romanorum in Angliam trahit. Poſtremo quercus antiquitatem, culturam et vſum multis enumerat verbis.

p. 225. Expoſitis corticis Peruuiani hiſtoria et deſcriptione, eius vſum in febribus intermittentibus conſiderat; corticem Caſcarillae et Caſſiam ligneam non minores viribus cenſet. Ex indigenis Centaurium minus, folia Chamaedryos, radicem Gentianae rubrae et corticem interiorem ſiue parenchyma Salicis Peruuiano ſubſtituit cortici.

p. 241. Fumigationum in morbis pectoris vſum Cl. Auctor hac epiſtola, quae eſt triceſima ſexta, viterioribus obſeruationibus exornat. In peſte, vbi maligni vapores facile pulmones intrant, quod et in metallifoſſores cadit, ſuam machinam commendat;

dit; neque minus feliciter dolores dentium, vapo-
ribus ex lacte admotis, curauit.

In annis ficcis oliuarum ſuperficiem externam et p. 257.
internam ita inſectis laedi, vt inde oleum non in tan-
ta quantitate largiantur, oſtendit Noſter; contra
quod malum Cl. SIEVE non modo apta remedia
promiſit, verum etiam methodum, oleum maiori
copia et facilitate eliciendi, indicauit; vtrumque
inuentum Noſter ſua commendatione comitatur.

Dyſenteriae quidem quaedam ex indigenis plan- p. 289.
tis opponi poſſent; attamen ad radicis Ipecacuanhae,
cuius hiſtoria naturalis hic narratur, indolem non
accedere Noſter confirmat. Etenim ex Ipecacu-
anhae duabus ſpeciebus altera copioſioribus parti-
culis reſinoſis et gummoſis ſcatens, Peru; altera
vero Braſiliam patriam agnoſcit. Partes gummo-
ſae vlcera inteſtinorum, quae, vt in dyſenteria
fit, ab humorum acredine oriuntur, abſtergunt;
reſinoſae vero, vomitum accelerando, materiam
heterogeneam, ſuperiora verſus pellunt. Quod
ſi morbus iam profundiores radices egerit, ab vſu
Ipecacuanhae abſtinere iubet; in quo tamen caſu ad
remedia indigena, nempe Prunellam, ante antheſin
eruſam, radicem Filipendulae, Hiſpidulam et oleum
amygdalarum dulcium et alia confugit, quibus Ly-
ſimachiam purpuream, ſiue *Lythrum Salicariam* L.
tanquam ſpecificum ſubiungit.

Methodus, cannabim ita praeparandi, et ad p. 321.
talem albedinem perducendi, vt lino, vel optime
parato, nihil cedat, hic indicatur; quam quidem in-
ventionem Cl. MARCANDO adſcripſerunt; ſed
multo hanc recentiorem eſſe ea, ab anonymo quo-
dam propoſita, Auctor noſter affirmat.

Et, quae Cl. MVRATORI ad praeparandam p. 337.
cannabim propoſuit, a Noſtro valde laudantur;
omnibus tamen diligenter inter ſe comparatis, hae

tres

tres methodi non adeo inter se differunt: Cl. MARCANDIVS tantum varia adiicit, quae ad bonitatem, teneritatem et albedinem filorum cannabinorum multum faciant.

p. 335. Iam alio loco *) Cl. MARQVET vsum Sedi *aeris* LINN. in cancro, carbunculis et gangraena demonstrauit, quod praeclare inuentum Noster nouis obseruationibus, in schedulis Auctoris impertis, exornat. Sedum hoc, dum externe applicatur, inter optima vulneraria et vlcera abstergentia referri meretur. Sic Cl. MARQVET varias glandulae maxillaris, et alae nasi tumores cancrosos curauit, neque minus feliciter in fistulis et aliis huius generis morbis succum eius applicuit.

p. 369. Sunt quaedam plantae, quae indolem camphoriferam recondunt, inter quas Thymi species eminent. Huius plantae Cl. Auctor hic duarum specierum considerationem suscipit, quarum vna *Satureja capitata* LINN. altera vero *Thymus Serpillum* LINN. et eius varietas folio latiore. Exposita earum cultura, ad partes sic dictas constitutiuas et vsum, quem habeant, transit. Etenim thymus vulgaris vsurpatur vel interne, vel externe; interne propter particulas summe subtilisatas humores viscidos attenuat, digestionem acuit; in siccis tamen et biliosis corporibus, sanguinis circulum augendo, ab eius vsu abstinere iubet; externe resoluendo nempe, ac discutiendo agit. *Satureiae capitatae* in asthmate vires specificas tribuit; oleum eius essentiale in doloribus dentium carioforum valde laudat.

p. 385. Epistola quadragesima quinta considerat tiliam, arborem in medicina et oeconomia haud ignobilem; nos autem neque in iis, quae eius vsum et culturam attingant, neque in recensione varietatum, ab Auctore collectarum, longius morabimur.

*) vid. BVC'HOZ *médécine rurale.*

In tomo tertio ſequentia inuenimus:

Cl. Auctor primo tractat, de plantis officinali- Tom. III.
bus, in quarum quidem enumeratione ordinem p. 3.
ſectatur alphabeticum. Loco abſinthii vulgaris
Artemiſiam maritimam adhiberi perhibet, quae ve-
ris virtutibus multo minor eſt. Aloetica in hae-
morrhoidum et catameniorum obſtructione, quod
valde miramur; externe vero in gangraena et ca-
rie laudat.

Epiſtola ſexageſima quarta in exponendis offi- p. 273.
cinalibus pergit, quam hic adponere libuit. Ex
multis illibi relatis, tantummodo *Cotulae foetidae*
infuſum in rheumatiſmis mirandos effectus produ-
cere annotamus.

Culturam pratorum pro diuerſa ſitus et ſoli ra- p. 193.
tione etiam diuerſo modo eſſe dirigendam No-
ſter oſtendit. Hisque bene diſpoſitis, de ſemini-
bus, illis inſerendis, cogitandum erit: trifolium
cum aequalibus auenae partibus in pratis naturali-
bus ſat largum et aptum praebet pabulum; quod
vero valde imminuetur, ſi primo anno animalibus
ſubditum fuerit. Praeterea conſilia appoſuit, agros,
qui diu pigri recubuerunt, fertiliores reddendi.
Super his ſeratur trifolium, quod, dum maxime mul-
tiplicetur, poros terrae aperit ita, vt ſimus in vſum
futurae ſegetis ſecalinae eo melius penetret; propo-
ſitum vero Cl. FERRANDI, omnia prata natura-
lia in artificialia mutandi, Noſter improbat. Tri-
folio linum prae ceteris in talibus agris laetiſſime
ſuccreſcit.

Rubiae tinctorum folia vaſis argenteis et ſtan- p. 33.
neis poliendis, equiſeto meliora eſſe, animalibus
pro pabulo non diſplicere, atque omne ferme ſo-
lum praecipue limoſum exſiccatum amare, ideo-
que cultoribus omnino acceptam fore pluribus
docet.

Epiſtola

p. 49. Epiſtola quinquageſima de radice *Ginzeng*, celebri illo Chinenſium medicamento agit. Usurpatur ab illis, auctore Cl. IARTOVX in debilitate pulmonum et totius corporis, in pleuritide ad nimium vomitum compeſcendum. Ardua pretium, quo illa venit, impedimenta obiecit, quominus a chemicis rite explorata ſit; interim pulſus, poſt vſum illius, plenus, et animus ad ſubeundos labores, hilaris, vim roborantem illius ſatis indicare valent. Folia viridia maſticata eundem effectum, quem radix, proferunt, quae etiam ab incolis theae ſubſtituuntur. Subiungit Cl. Auctor locos natales et definitionem botanicam.

p. 81. Praemiſſis quibusdam obſeruationibus, Cl. ARVIERE et MARQVET de indole venenata cicutae, cauſſas addit, cur hoc pharmacum medicis Pariſinis non ita ex voto ceſſerit, inter quas primam neglectum regiminis obſeruandi: deinde, quod plerumque alia planta, cicutae ſimilis adhibita fuerit, enumerat; ſub finem indicantur remedia, quibus huic veneno obuiam ire queamus.

p. 97. Ex *Robinia Pſeudoacacia* Chinenſes non modo colorem, verum etiam varia medicamenta parant. Seminum vis ita efficax cenſetur, vt vuea elaborata eorum vſu iterum pellucida fiat. Flores futuris colorem flauum induunt: folia largum pabulum, radix vero corticem, Liquiritiae, quoad dulcedinem, haud abſimilem, exhibent. Mirabile ſane eſt, quod, ſi duo rami ex diametro ſibi inſidentes ſimul prodeant, truncus ad baſin vſque findatur.

p. 113. Recenſuit Cl. Auctor iam variis epiſtolis plantas, quae in medicina veterinaria adhiberi ſolent, ita, vt non ſolum cuiuscunque vires, et morbi, in quibus proſint, indicet, verum etiam doſin definitam addat. Quod argumentum, epiſtola quinquageſima

ſima octaua vlterius continuando, in ſexageſima ad finem perduxit.

Inter plantas, quas cetera animalia cupide arripiunt, permultae ſunt, quae equis diſplicent atque nocent; has Cl. Auctor epiſtola quinquageſima quinta, quoad ordinem ſyſtematis Ill. LINNAEI collegit, et in quibusdam locis ſuas obſeruationes adſperſit. p. 129.

Vidit Noſter in itineribus ſuis per Galliam multa loca exuſta, quo haec fertilia reddantur, cultum *Betulae nanae* LINN. ſuadet. Lappones certe ex hac arbore varia vtilia depromunt, eandemque ob cauſam cultoribus harum regionum commendat *Betulam* ſupra dictam, et *albam*, *lentam* atque *nigram*. p. 145.

Morus albae culturam, quam ſane, prae ceteris arboribus, diligentem expoſcit, Noſter hic apprime delineauit. A diuerſa foliorum figura magna varietatum copia prodiit, de quibus epiſtola ſexageſima quinta egit, vbi et de *Moro papyrifera* mentio iniecta eſt. p. 161. p. 289.

De viribus ſingularibus Illecebrae ſiue *Sedi acris* LINN. iam in ſecundo tomo monuimus. *) Inſtituit Cl. DORON vlteriora circa hoc vegetabile experimenta; ſic puellam tumoribus ſcrophuloſis et fluore albo peſſime vexatam, nec non feminam, cuius oris cauitas et pudenda vlceribus venereis cacoethicis repleta erant, ope illius feliciter ſanauit. Omittimus plures Cll. DORON et D'ARBOIS de hac re obſeruationes. p. 225.

Arnica nullum remedium efficacius in congruato ſanguine reſoluendo, in haemoptyſi, in aſthmate et catameniis prouocandis agnoſcit, quod hic relatae obſeruationes Cl. FEHR affatim comprobant. Neque veteribus ob has virtutes incognita fuit, p. 241.

*) vid. ſupra p. 476.

fuit, ſed eam longe abhinc cum maiore circumſpectione adhibuere: ſiquidem dolores vehementes et reſpirationem anxiam profert, quae vero ſymptomata vi illius celeriter reſoluenti adſcribit, et nihil mali de illis metuit: compeſcuntur quoque facili negotio vomitu ſpontaneo, vel venaeſectione.

p. 257. Societas regia ſcientiarum et artium quaeſtionem diſſoluendam propoſuit: quae ſit optima in Meſſina vina parandi methodus? hanc quaeſtionem primo anno non diremtam, altero enodauit Cl. MATTHIS, qui etiam pretium, a ſocietate conſtitutum, reportauit. Hocce ſpecimen, propter ſuam vtilitatem Noſtro hac epiſtola repetere placuit.

p. 305. Ex copioſis contra colicam nephriticam tam indigenis, quam exoticis hic relatis, terebinthinam, aqua bene elotam et vitello ouorum ſolutam, Arnicam, et omnium praeſtantiſſimam Vuam vrſi commendare ſufficiat, de cuius vi lithontriptica quaedam obſeruationes Cl. IACQVES et Ill. DE HAEN adiunxit.

p. 321. Epiſtola ſexageſima ſeptima de transmutatione ſpecierum regni vegetabilis ita agit, vt primo ſententiam Ill. LINNAEI de hac re atque varia phaenomena in *Peloria* obſeruata; deinde etiam Cl. ADANSONII experimenta, quae cum mercurialibus annua, mirum in modum degenerante, inſtituit, enarret.

p. 337. In locis maritimis, vbi aliae ſtirpes non facile ſuccreſcunt, kali et eius ſpecies laete prouenit, quae, dum copioſum ſal alcalinum largiuntur, ſe nituntur emolumento, quod ſub finem plurimis extollit verbis. *Artemiſia* et *Cineraria* maritima quoque multum ſalis exhibent, quod etiam de aliis maritimis valebit.

p. 353. Edidit Cl. Auctor enumerationem ſtirpium Lotharingiae, cuius vaſti operis ordinem hic deſcri-

ineat. Excipit hanc delineationem catalogus ar- p. 369.
borum, fruticum et ſuffruticum, quae in ornamentum hortorum coluntur, vbi tantummodo illas ſelegit, quae hyemes noſtras facile ferre poſſunt.

Inter medicamenta, quae ſcorbuto obicem ponunt, trifolium fibrinum quoque primarium locum occupat. WILLIVS certe illud tanquam vnum praedicat, quo multos, hoc ſqualido morbo laborantes ſanitati, reddidit. Neque in paralyſi, catarrhis et aliis morbis, vbi viſcidum reſoluendum eſt, ſua deſtituitur vtilitate. p. 385.

Epiſtola poſtrema continetur index alphabeticus omnium plantarum, de quibus in tribus his voluminibus ſermo fuit. p. 401.

XIII.

The vegetable Syſtem, or the internal ſtructure and the life of Plants etc. By JOHN HILL, M.D. Vol. X. Containing all the one-petaled Plants with ſix, ſeven and many Segments: and the two entire Claſſes of two-petaled and three-petaled Plants. London 1765. fol. pl. 17 tab. aen. 59. Vol. XI. Containing four-petaled Plants. pl. 16. tab. aen. 60. Vol. XII. Herbs of four-petaled and five-petaled Plants. With an appendix, containing the figures and Hiſtory of ten new diſcovered Plants. pl. 19. tab. aen. 60. et append. tab. aen. 10. London 1767. fol. Sold by R. Baldwin.

i. e.

Syſtema vegetabile ſiue explicatio internae ſtructurae et vitae plantarum. Auctore IO. HILL, M. D. Vol. X. XI. XII.

Supererant adhue ex plantis, monopetalis floribus inſtructis, eae, quarum ſegmenta florum quinis plura ſunt *). Has igitur nunc primo perſequitur indefeſſus Auctor, eadem cum ſollicitudine, ac in prioribus. Deficit quidem, quod negandum non eſt, et noſtri tantum ſeculi in detegendis plantis incognitis adhibita ſolertia demonſtrat, earum adhuc plantarum cognitio, quae lacunas methodi naturalis compleant, quod recte ab initio monet Cl. Auctor; earum tamen, quae dignoſcuntur, affinitas nunquam eſt inconſiderata dimittenda, qua ſeries et ſcalae naturae eo penitius intelliguntur. Sed opus hoc eſſe arbitramur magni et periti naturae ſcrutatoris, tyronem vero artificialis methodi cognitione imbuendum eſſe iudicamus. Quare ſecundum ordinem propoſitum more noſtro nunc deſcriptas ab Auctore plantas recenſebimus.

Vol. X. Claſſ. VII. *Familia* 4. Corolla ſexfida: Spatha cylindrica, lateraliter aperta, tubo corollae longo, laciniis erectis, capſula ouali triloculari, ſeminibus rotundis, *Crocus:* ſpatha inflata, tubo longo angusto, laciniis acutis, capſula triloculari tumida, *Gethyllis:* ſpathis pluribus, corollis ex anguſta baſi profunde ſectis, capſula ouali, loculis tribus compreſſis, *Ixia:* ſpatha bifariam dehiſcente deſtituta ciliis inſtructa, corollae laciniis reuolutis, tribus apice vncinatis, capſula ouali triloculari, *Crinum:* ſpatha foliacea ſexpartita, multiflora, capſula rotunda ſuculenta triloculari, *Haemanthus:* ſpatha bi- vel trifida, calyce fructui inſidente ſexfido, corolla longa ſegmentis laciniatis, capſula ouali bicellulari, *Hilia:* calyce ſeptemfido, corolla ſeptempartita, capſula rotunda, vniloculari, *Trientalis:* calyce integro, corolla infundibuliformi octofida, bacca ouali quadriloculari,

*) vid. comment. noſtr. Vol. XIV. Part. IV. p. 601 ſeq.

loculari, *Fuchſia:* calyce monophyllo, quinquefido, corolla multifida, bacca rotunda quinquecellulari, *Hemibryanthemum.*

Sequitur Claſſ. VIII. plantarum dipetalarum, quae ex paucis admodum conſtat, vt in naturali ſyſtemate Cl. Auctori vnum tantum genus conſtituere videantur. Eſt nempe, calyce diphyllo, corolla dipetala, capſula biloculari, *Circaea:* calyce nullo, petalis corollae ſemilunaribus, ſemine vnico nudo, *Coriſpermum:* calycis loco tuberculis duobus, capſula biloculari, ſeminibus duobus, *Callitriche:* calyce diphyllo, ſemine vnico, *Atraphaxis:* calyce diphyllo, ſemine triquetro vnico, *Oxyria.* p. 21.

Claſſ. IX. plantas tripetalas offert, quae pariter ob paucitatem ſubdiuiſiones non requirunt. Spatha oblonga, petalis corollae longis concauis, nectario interiore tripetalo, capſula triquetra triloculari, *Galanthus:* floribus in capitulum congeſtis ſquamoſum, ex biualuibus ſpathis, capſula rotunda triloculari, *Xyris:* calyce communi multifolio, proprio ſimili vaginae, petalis lanatis, ſemine vnico nudo, *Eriocaulon:* calyce triphyllo, foliis permanentibus, corollae petalis concauis, capſula ouali triloculari, *Lechea:* calyce ouali baccato triquetro trifidoque, petalis exiguis, capſula cylindrica calyce obuoluta triloculari, *Burmannia.* Vagina membranacea, flores inuoluente, calyce triphyllo, (non diphyllo, vt per errorem typographi ſcribitur,) concauo, ſtaminibus villoſis, capſula triloculari, calyce complexa, *Tradeſcantia:* ſpatha diphylla, calyce proprio monophyllo acute tripartito, fructu capſula baccam continente ſexloculari, ſeminibus vncinatis, *Stratiotes:* calyce triphyllo, concauo, ſeminibus nudis in capitulo copioſis, margine cinctis, *Sagittaria:* p. 25.

calyce triphyllo, capſulis confertis, vnico ſemine foetis, *Aliſma:* calyce triphyllo, permanente, coloratо. fructu bacca triloculari, *Trillium:* calyce ſimili capſula, baſi dehiſcente triloculari, *Triglochin:* calyce permanente triphyllo, petalis non deciduis, staminibus, ſemine triquetro vnico, *Rumex.*

p. 43. Adduntur his, licet in titulo libri eorum mentio facta non eſt, ſeries 4 plantarum, regularibus, viſibilibus, perfectis et diſtinctis floribus inſtructarum, quorum ſingulus proprio calyce et ſtaminibus diſtinctis inſtruitur.

Claſſ. X. plantarum tetrapetalarum. Numerus nimirum magnus plantarum, huc pertinentium requirit, vt, natura dictitante, ſubdiuiſiones quaedam fiant, in tribus, ordines et familias. Tribus ex calycis diuiſione ſeu foliolis, ordines ex fructificatione potiſſimum deſumuntur, familiae vero ex ſeminibus. En totam claſſis diſpoſitionem:

Tribus 1. calyce monophyllo. *Ordo* 1. calyce apice quadridentato. *Familia* 1. ſemine vnico nudo, 2. capſula vnico ſemine foeta, 3. capſula polyſperma, 4. fructu baccato, 5. octodentato. *Familia* 1. ſeminibus nudis, confertis, 2. capſula ficca. *Tribus* 2. calyce diphyllo. *Ordo* 1. capſula monoſperma, 2. capſula polyſperma. *Tribus* 3. calyce triphyllo. Hi vlterius diſtingui non debent. *Tribus* 4. calyce tetraphyllo. *Ordo* 1. fructu ſiliquoſo. *Familia* 1. ſiliqua apice nuda, 2. armata ſtylo longo, 3. armata ſtylo breui. *Ordo* 2. fructu baccato. Secundum hanc diſpoſitionem nunc huc pertinentes plantae deſcribuntur: quare notandae

Tribu 1. *ord.* 1. *familia* 1. calyce longo, apice late quadrifido, ſemine vnico, *Gnidia. Familia* 2. calycis laciniis lanceolatis, capſula dura, laciniis calycis ſpinoſis redditis, armata, monoſperma, *Tragus.* Fa-

3. calycis laciniis longis expanſis, capſula quadriloculari, *Ludwigia:* calycis laciniis permanentibus, corolla calyce latiore, capſula biloculari, *Oldenlandia:* calycis laciniis deciduis, ſquamis oualibus interdiſtinctis, capſula quadriloculari, calyce obuoluta, *Oſbeckia:* calycis laciniis expanſis, petalis anguſtioribus, capſula quadriloculari, *Tillaea:* calycis baſi rotunda, collo anguſto, capſula rotunda, quadriloculari, ſeminibus numeroſis, *Rhexia:* calyce monophyllo, aſpero, tincto, petalis cum calycis laciniis alternis, capſula triloculari, loculo vnum ſemen continente, *Euphorbia.*

Pergit Cl. Auctor in recenſendis, ad hanc tribum pertinentibus plantis, diſtinguit a priori genere *Tithymalum.* In genere autem monet, in differentiis huius generis conſtituendis praecipue ad crescendi modum attendendum eſſe: illud enim in ſerie rerum vmbellas reliquasque plantas iungere, florem nempe centralem ante omnia eſſe obſeruandum, ſimplicem et diſtinctum. Deinde in ſummitate ſinguli caudicis circulum folioſum, qui inuolucrum vniuerſale umbellarum aemuletur, adeſſe, ab hoc et circa florem, in medio occurrentem, numerum ramorum dimitti, tres, quatuor, quinque vel plures, hos *vmbellam vniuerſalem* ſiſtere; hos ramos iterum ſubdiuidi, quarum diuiſionum ſingula centralem florem, inuolucrumque membranaceum habeat, et *partialem vmbellam* conſtituat, vocat *vmbellam ſimpliciter diuiſam;* ſecundarios tandem ramos in aliis denuo diuidi, eodem modo, vt centralis flos atque inuolucrum adſit, et *extremam vmbellam* nominat, vt vniuerſalis vmbella eapropter ſit *duplicato diuiſa.* His itaque notis vtitur Noſter, ad determinandas copioſas ſpecies et ſectiones, earumque lineas facit, reliqua floris conformatio cum priori

Vol. XI. p. 1.

conuenit in *Tithymalo:* calyce ouario infidente, longe cylindrico, capſula cylindrica, quadriloculari ſeminibus angulatis, *Oenothera:* calyce cylindrico, quatuor glandulis ad baſin, capſula ouali quadrangula quadriloculari, ſemine vnico angulato, *Genera Familia* 4. calyce communi colorato tetraphyllo, fructu bacca ouali biloculari, *Cornus.*

Tribu I. ord. 2. *familia* 1. calyce plano, ſemina octo continente, *Tormentilla. Familia* 2. calyce oblongo, tubuloſo, capſula ouali, acuminata, quadriloculari, ſeminibus paruis rotundis, *Ammannia. Tribu II. ord.* 1. calyce ouali obtuſo, capſula ouali, alata pulpoſa, *Bocconia; ord.* 2. calyce ouali, concauo, petalis inferioribus, ſuperioribus latioribus, capſula cylindrica vel globoſa, ſeminibus numeroſis, *Papauer. Tribu III.* capſula inflata triloculari, ſeminibus globoſis cordis inſcripti forma, *Cardioſpermum. Tribu IV. ord.* 1. *familia* 1. calyce ouali, glandula cauа ſingulis petali inhaerente, ſiliqua anguſta, oblonga, ſeminibus oblongis, *Epimedium:* calyce oblongo, colorato, acuto, capſula longa cylindrica, quadrangula et quadriloculari, ſeminibus pappoſis, *Epilobium:* calyce foliolis alternis inaequalibus, capſula ouali, ſeminibus duobus, *Bufonia:* calyce et capſula ouali, ſeminibus pluribus, *Sagina:* calyce expanſo, capſula rotunda, vniloculari, ſeminibus pluribus, *Moehringia:* calyce obtuſo, capſula rotunda depreſſa, quadriloculari ſeminibus pluribus, *Elatine; ord.* 3. calyce oblongo colorato perſiſtente, petalis abortiuis, fructu bacca rotunda, ſemine vnico, *Rhuina:* calycis foliolis acutis, petalis ſubulatis, fructu bacca quadriloculari, ſeminibus pluribus, *Paris:* calyce obtuſo, petalis minore, bacca ouali, vniloculari, ſeminibus pluribus, *Actaea.*

p. 32. Sequitur nunc demum, mutato paullulum ordine *Trib. IV. ord.* 1. *famil.* 2. cuius ſiliqua ſtylo ornatur

matur longo. De plantis autem huc pertinentibus notandum, calycem tumidum ad baſin, glandulas habere et petala floris cruciatim poſita eſſe. Calyce ouali, ſiliqua tumida, ſtylo rigido, *Myagrum:* ſiliqua globoſa, ſtylo membranaceo, *Vella:* ſiliqua ouali, compreſſa, biloculari, *Draba:* ſiliqua ouali, plana, lata, biloculari, ſtylo longo, *Lunaria:* ſilicula ouali, planiuſcula, ſtylo acuto, *Subularia:* ſilicula breui biloculari, ſtylo obliquo, *Anaſtatica:* ſilicula cordiformi, apice acuta, *Lepidium:* ſilicula lata, cordiformi, emarginata, ſtylo longo, *Thlaſpi:* ſilicula cordata, planiuſcula ſcabra, *Cochlearia:* ſilicula rotunda, plana, angulata, *Iberis:* ſilicula globoſa, ſtylo longo, *Alyſſum:* ſilicula angulata latoplana, *Peltaria:* ſilicula perfecte rotunda, compreſſa, *Clypeola:* ſilicula biloba, annulo cincta, biloculari, *Biſcutella:* ſiliqua irregulari, muricata, quatuor vel paucioribus acutis prominentiis, *Bunias:* ſiliqua pene globoſa, monoſperma, *Crambe:* ſiliqua oblonga, lanceolata, obtuſa, acute angulata monoſperma, *Iſatis:* ſiliqua longa articulata, ſtylo acuto *Heliophyla:* ſiliqua longa, ſtylo prominente, *Dentaria*, quae limites inter ſiliculoſas et ſiliquoſas figere dicitur.

Has plantas excipiunt nunc *Trib. IV. ord.* 1. *fa-* Vol. XII.
mil. 3. quae ſiliquam, ſtylo breui inſtructam, gerunt. Siliqua lata, pendula, ſeminibus aliquot foeta, *Ricotia:* ſiliqua tenui, quadrata, *Eryſimum:* ſiliqua longa, plana, apice incuruo inſtructa, *Cheiranthus:* ſiliqua longa, ſtriata, *Heſperis:* ſiliqua longiſſima, plana, ſeminibus tubercula extus facientibus, *Arabis:* ſiliqua longa, quadrata, *Turritis:* ſiliqua longa, rotunda, vtrinque paullum depreſſa, *Braſſica:* ſiliqua oblonga, articulato tumida, acute acuminata, *Raphanus:* ſiliqua longa planiuſcula, *Cardamine:*

ſiliqua longa, incurua, rotunda, *Siſymbrium*: ſiliqua longa, ad baſin rotunda, apice longo plano, *Sinapis*: ſiliqua longa, cylindrica, ſtylo inhaerens, *Cleome*: capſula oblonga apice acuto, calyce comprehenſa, *Aſcyrum*: capſula oblonga, calyce obuoluta, *Lythaſtrum*.

P. 38. Claſſ. XI. plantarum pentapetalarum. Has, natura ſic volente, in tres tantum tribus, iterum ſubdiuidendas, diſpeſci Cl Auctor aſſerit. Indicabimus itaque generalem claſſis diſpoſitionem: *Tribus I.* ſeminibus nudis: *ordo* 1. vnico ſemine, *ordo* 2. ſeminibus quinque, *ordo* 3. ſeminibus pluribus. *Tribus II.* ſeminibus tectis capſula ſicca: *ordo* 1. capſula ſimplici, *ordo* 2. capſulis tribus, *ordo* 3. capſulis quinque, *ordo* 4. capſulis pluribus. *Tribus III.* ſeminibus tectis bacca: *ordo* 1. bacca ſimplici, vna; *ordo* 2. capſulis pluribus congeſtis. Ex his omnibus nunc, quae ad tribum priorem pertinent, recenſentur plantae. Complectitur autem *Tribus I. nudis ſeminibus* ſequentes, *ordo* 1. *monoſperma*: calyce triphyllo, permanente, ſemine oblongo excauato, calyce comprehenſo, *Polycnemum*: calyce pentaphyllo, perſiſtente, ſemine calyce tecto, *Corrigiola*: calyce monophyllo, infundibuliformi, ſemine in baſi calycis latente, *Limonium*: calyce anguſto germini inſiſtente, quinquedentato, alio ad baſin ſuſtentato, permanente, ſeminibus duobus, calyce indurato complexis, *Agrimonia*: *ord.* 2. *pentaſperma*: calyce monophyllo, decemfido ſegmentis alternis latioribus, ſeminibus rotundis in calyce, *Sibbaldia*: *ordo* 3. *polyſperma*: calyce pentaphyllo, deciduo, ſeminibus in capitulum longum congeſtis, *Myoſurus*: calyce monophyllo, decemfido, ſeminibus in caput globoſum collectis, *Potentilla*: calyce monophyllo, decemfido, ſeminibus ſtylo longo incuruato ariſtatis, *Geum*: calyce monophyllo, decemfido, colorato, ſeminibus

feminibus nudis, capitulo rotundo comprehenſis, *Conarum:* calyce pentaphyllo, colorato, ſeminibus angulatis in capitulo ouali, *Adonis:* calyce pentaphyllo, leuiter colorato, ſeminibus oblongis, in rotundum capitulum coalitis, *Ranunculus.*

Accedit tandem appendix, qua decem nouae p. 61.
plantae, quae demum poſt editas iam priores plantas in horto principis Walliae Viduae (*at Kew*) floruerunt. Sunt autem ſpecies hae:

1. *Silphium latifolium*, foliis cordatis longe petiolatis. Ex Carolina, perennis.
2. *Matricaria glaſtifolia*, foliis ſimplicibus, lanceolatis, integris. Americana, annua.
3. *Verbeſina populifolia*, caulibus procumbentibus, foliis ouatis, plicatis. Chinenſis, annua.
4. *Solidago alba*, foliis oblongis, vndulatis, floribus per ramos diſpoſitis. Eboracenſis, annua.
5. *Carthamus laeuis*, foliis laeuibus, inferioribus oblongis, baſi ſerratis, amplexicaulibus; ſuperioribus ſeſſilibus, cordatis, dentatis. Ex Carolina, perennis.
6. *Spiraea rubra*, foliis pinnatis, pinnis lanceolato-lobatis. Americana, perennis.
7. *Amaryllis vndulata*, petalis nempe vndulatis. Indica, perennis. Videtur eadem ac vndulata LINN.
8. *Oenothera laciniata*, foliis profunde inciſis. Carolinenſis, annua.
9. *Indigofera decumbens*, foliis pinnatis, laeuibus, ſiliquis pendulis. Chinenſis, annua.
10. *Cytiſus viſcoſus*, foliis ternatis, lanceolatis ſeſſilibus, calyce patente, ſiliquis oblique dependentibus. Frutex Luſitanicus, perennis.

Singula ex his icone, ſat eleganti illuſtratur, quales etiam, vt ſolet, ſingulae addidit in his voluminibus deſcriptae plantae HILLIVS; qui tamen

praeter calycis, corollae, ſeminis fructusque deſcriptionem ad reliquas partes floris, ex ſua methodo non reſpexit, quod, quam inſufficiens ſit, alibi iam annotauimus. Aliquae etiam nouae ſpecies adiiciuntur, et quaedam, a LINNAEO propoſitae, praetermittuntur.

Vol. X. p. 3. Sic enim inter *Ixiae* et *Crini* ſpecies non omnes occurrunt, quas a LINNAEO traditas accepimus; quum e contrario aliquae nouae occurrant in *Meſembryanthemo*, quod genus praecipue multis ſuperbit, ex his annotamus nouas, *quadrifidum*, ex cipite bonae ſpei, albo flore; deinde *aureum*, foliis oppoſitis, diſtinctis, recuruis, punctatis, flore luteo. *Trientalis* etiam altera ſpecies occurrit, *Capenſis*, quae foliis inſtruitur obuerſe ouatis, margine vndulatis, nec non *Circaeae*, *Canadenſis*, caule in duos ramos diuiſo, foliis dentatis, et *Triglochim ſeſſile* foliis nempe ſeſſilibus, capſulis ſexlocularibus, angulatis.

Vol. XI. p. 3. *Tithymalus apios*, ſeu *Euphorbia apios* LINN. quam hic vmbellis quadrifidis deſcripſit, ad vmbellas quinquefidas reduxit; praecipue vero in hoc genere determinando multam operam adhibuit.

Vol. XII. p. 46. Quae inter *Potentillas* eſt noua ſpecies, *veluet-Cinquefoil*, caulibus decumbentibus, foliis quinis, obtuſis dentatis, villoſis, ſubtus albicantibus, ab alba foliorum forma et villoſitate differt.

Vol. X. p. 24. Nouа deinceps genera in his voluminibus pauca occurrunt, nempe *Oxyria*, quae eſt *Rumex digynus* LINN. ab ipſo Auctore denuo inter *Rumices* occurrens, quam ob corollam inter dipetalas reponens, ex natura reliqua cum Rumice conuenire docet.

p. 41. no. 20.

Vol. XII. p. 34. Porro *Lythaſtrum*, quod *Lythrum thymifolium* LINN. ob corollam tetrapetalam nouo hoc nomine

nomine insignitur. Miramur tamen inter adeo distinctas fructuum notas, sub *Papauere*, simul *Argemonen* et *Chelidonium* referri. Sic etiam in *Corni* genere eae tantum recensentur species, quae mollioris sunt habitus et arbores ad aliud volumen dimittuntur. Etsi vero in primis systemati sic dicto sexuali aduersatur Cl. Auctor, quod tamen ratione staminum in aliis plantis praesentium, in aliis deficientium, non plane reprobandum esse videtur, argumentis quibusdam illud infringere conatur. *Cleomes* varias species staminibus discrepare docet, alias hexandras, alias dodecandras, alias icosandras, gynandras alias esse, et naturam ipsam systematis artificiali repugnare; in quo vero genere character specificus in ouario, pedunculo elongato insistente, deprehenditur. In *Corispermo* numerum staminum variare asserit, quae conditio a varietate incrementi pendet. Non vero attendit, in *Stratiote* flores relatiuos esse, et plantam diphytam, quamuis id declarauerit ZINNIVS, BERGEN, FABRICIVS, BOEHMERVS et alii; neque in *Sagittaria* sexus diuersitatem occurrere animaduertit, et solo externo habitu *Crocum triandrum* et *Gethyllin decandram* vicinas iunxit, quod eam ob caussam monemus, vt multa attentione in perscrutanda natura opus esse pateat.

Vol. XI. p. 16. p. 12. Vol. XII. p. 30. Vol. X. p. 22. p. 30. p. 31. Vol. X. p. 1.

Tandem optandum fuisset, ne magna errorum typographicorum copia irruisset, v. c. pro Gethyllis legitur Gethytlis, pro Cheiranthus Chieranthus, vt alia praetereamus.

XIV.

Diſſertazione ſopra la Gotta di IACOBO ANTONIO ROLLINI, Dottore in Medicina, Antico Profeſſore, e Dimonſtratore di Chirurgia, ed Anatomia, Corriſpondente dell' Accademia di Parigi, e di Stokolm, dianzi Medico delle Truppe delle Lore Maeſtà Imperiali, e Regia Appoſtolica; non ſenza l'approvazione di varj Signori Dottori di Medicina, ſull' uſo, e ſulle proprietà dello Specifico Antipodagrico, dell' Autore detto Depurativo del ſangue, e del Balſamo Elvetico, per lo più da aggiugnerſi, per guarire le Perſone ſtraccate da queſta pertinace, e tormentoſa infermità. Terza edizione corretta, ed aumentata. In Mantova, M DCC LXVI. Per l'Erede di Alberto Pazzoni, Regio-Ducale Stampatore. 4 mai. plagg. 56. ſine dedic. et praefat.

i. e.

IACOBI ANTONII ROLLINI diſſertatio de arthritide, non ſine approbatione variorum medicinae doctorum de vſu et proprietatibus ſpecifici antipodagrici, ab Auctore depurativum ſanguinis dicti, et de balſamo Helvetico, ad melius praeſtandam ſanationem eorum, qui pertinaci hoc et excruciante morbo affliguntur. Editio tertia correcta et aucta.

Nondum eo deduci potuimus, vt ſententiam noſtram de arcanis medicorum, quam aliquoties iam tulimus, mutandam eſſe arbitraremur. Quare pauciſſimis de praeſente libro diſſeremus, in cuius primo capite quatuor obiectiones proponuntur: primo, curationem arthritidis ideo ſuſcipi non debere,

bere, quia nunquam remedium adfuerit, huic fini perfecte respondens; secundo, tot Celeberrimos viros ab ipsa hac curatione abstinendum esse suadere, ob metum pessimi euentus inde sequuturi; tertio, in diuersis adeo caussis morbi et conditionibus aegrorum non dari posse remedium vnicum infallibile et semper adaequatum; quarto denique non de viri honesti, christiani, medici, occultare remedium tantae vtilitatis futurum. Ad quarum obiectionum primam respondet Noster, multos morbos olim incurabiles habitos esse, quibus nunc optimo cum successu medeamur: ad secundam, plures tamen medicos putasse morbum nostrum curari posse, et lectores suos ad illud tentandum excitasse: ad tertiam, diuersitati isti dosin remedii sui, diaetam cet. accommodari; nihil referre, quod qualitas specifica humoris peccantis in arthritide nos lateat, quum specificum Nostri eodem modo ipsum impugnet, quo vires specificas inesse videamus cortici Peruuiano aduersus febres periodicas, mercurio contra morbos venereos cet: ad quartam, exempla multorum Celeberrimorum virorum sibi satis valida et imitatione digna videri; verendum esse, ne publici iuris factum remedium contemtui sit, ab imperitis vsurpetur, adeoque plus damni quam commodi pariat; iniquum esse, si vigiliae et curae artis studiosi ignaris in praedam cadant cet. Caput secundum censuram remediorum aduersus arthritidem adhiberi solitorum exhibet, quae omnia reiici facile quisque praeuidere potest. Caput tertium descriptionem arthritidis, praeeunte SYDENHAMO, caussarumque eius et indicationum inde formandarum fistit. In capite quarto de depuratiuo antipodagrico eiusque agendi modo disseritur, adiunctis simul diaetae aliarumque rerum non naturalium regulis. Remedium hoc fluidum ex vegetabilibus

grato

grate amaricantibus confectum dicitur; ita tamen temperatum, vt aegris non ingratum fit, excretiones per aluum, vrinam, ſudorem promoueat, materias tartareas ex ſanguine expurget, primarum viarum robur reſtituat et conſeruet cet. Balſamum vero, quod in quinto capite adducitur, exterius vna cum interno prius deſcripti remedii vſu applicatum reſolutionem, non vero repulſionem praeſtare aſſeritur.

Monemus adhuc, in praefatione Noſtrum commendare etiam pomatum quoddam ad tophos arthriticos, itidem a ſe inuentum. Caput ſextum primo docet, quomodo in arthritide retropulſa primo morbi, per metaſtaſin producti, cura habenda ſit ante, quam ſpecifico iſto vti queamus, et denique varia teſtimonia medicorum Belgicorum, Germanorum, Gallorum et Italorum de praeſtantia et effectibus horum medicamentorum tradit.

XV.

Mélanges de philoſophie et de mathématique de la ſociété Royale de Turin, pour les années 1762—1765. à Turin, 1766. De l'imprimerie royale, avec permiſſion. 4. pagg. 396. tab. aen. 7.

i. e.

Miſcellanea Taurinenſia. Tom III.

Diu eſt *), quod ſocietatis huius acta ad nos non venerint, ideoque non potuerimus de iis ad Lectores referre; iam vero non poſſumus, quin quae ad manus ſunt, breuiter indicemus.

p. 1. 1 *Commentarius de varia ſalium neutrorum ſolubilitate in ſpiritu vini, continens ſingularis ſuper pu-*

rum

*) Indicauimus alterum volumen comm. noſtr. Vol. XII. p. 328.

nuis horum ſalium obſeruationes; Auctore Cl. MACQUER *).

1. IOANNIS FRANCISCI CIGNA tractatus p. 31.
de nouis quibusdam experimentis electricis. Diuidit Cl. Auctor experimenta ita, vt primo capite agat *de frictione binarum taeniarum ſericearum eiusdem coloris;* quo oſtendere conatur, naturam electricitatis diuerſam, quam *vitream* et *reſinoſam* appellat, non a colore ſericearum taeniarum proficiſci; ſed a natura illius corporis, quo frictio cieatur: id quod etiam altero capite, vbi *de frictione taeniarum ſericearum oppoſitis coloribus infectarum,* p. 32.
tum de Symmeriano cruralium electricitate experimenta commemorat, pluribus confirmat argumentis. SYMMERI enim atque NOLLETII experimentum nihil omnino probare ait. Capite tertio exponit *de conſtanti* p. 48.
taeniarum electricarum ad laeues ſuperficies adhaeſione. Quam ſtatuit, effici ob aequalem ipſius telae et corporis, cui adhaeret, vim electricam. Capite quarto phaenomena *tubi, aere vacui, aut defe-* p. 52.
rentibus corporibus pleni enumerat, eodemque *de analogia cruralium, oppoſitas electricitates habentium, cum onerato vitro, et de tenacitate electricitatis in coercentibus* disquirit. Vim electricam non ſolum ſerico tenaciter inhaerere; ſed omnibus etiam corporibus, hanc vim coercentibus, ineſſe docet.

Capite quinto *de armaturarum officio in onere vi-* p. 59.
trorum, aliorumque coercentium diſſerit, probatque, in ipſis armaturis, cum e genere deferentium corporum ſint efficiendae, maximam eſſe ponendam vim electricam. *Naturam contrariarum electricita-* p. 69.
tum ſexto capite inueſtigat. Cum enim ſint, qui opinentur, materiam electricam poſitiuam, ab ea, quae negatiua ſoleat appellari, plane diuerſam natura

*) vid. ſupra p. 457.

tura ſua eſſe: hanc opinionem Auctor Cl. refutare conatur. Iſtas enim, ait, oppoſitas directiones virium electricarum magis a reactione materiae corporum et materia electrica, quaquauerſum ſe expandente, effici. Sed ipſe legatur tractatus oportet, ſi quis vberiorem ex his experimentis capere cupiat vſum.

p. 73. 3 *De actione calcis viuae in diuerſa corpora*, Auctore Ill. Comite SALVCES. Priorem partem huius tractationis in *deliciis mineralogicis* *) indicauimus; ſequuntur nunc experimenta, quibus ſolutionem ſalis ammoniaci ſolius ignis ope obtinere ſtuduit. Ex vncia vna et ſemiſſe huius ſalis ope ignis fortis obtinuit vnciam cum drachma vna liquoris flaueſcentis, ſalini et amaricantis, qui vero paullo poſt ad indolem vrinoſam vergebat; odor, inde exhalans, empyreuma redolebat. Hunc liquorem nihil aliud, quam ſal ammoniacum, multa aqua ſolutum, eſſe perhibet.

p. 119.

p. 121. Deſtillatio, in balneo arenae inſtituta, tantummodo 5—6 guttas liquidi vrinoſi exhibuit, reliquum ſalis ſublimabatur, atque in fundo vaſis materies quaedam nigra remanebat. Ex his duobus experimentis ſequentia colligit: 1. quoties ſal ammoniaci prius funditur, quam ſublimetur, toties maximam eius partem in forma liquidi transſtillare; 2. differentiam ignis, vel ratione eius fortitudinis, vel comparationis vaſorum, quae adhibentur, inter ſe, etiam differentia producta largiri; 3. ſal ammoniaci omnino nullam cum calce viua ſolutionem admittere, niſi illi maxima pars fluidi adimatur.

p. 127. Ex vnciis duabus plumbi granulatici et ſalis ammoniaci ex retorta, igne, ab initio leniore, ſub finem vero valde aucto, deſtillabat ſpiritus cauſticus,

*) vdi. ſupra p. 458.

um, cuius acredo sale tartari augebatur. Hunc sequebantur flores aurantii coloris, in quibus spicula plumbea haerebant; duae tertiae circiter partes capitis mortui, in plumbum corneum mutatae, partem superiorem obtinebant, atque inferiori, quae ex plumbo fuso et ab acido non tacto constabat, scoriae adhaerebant. Idem experimentum cum calce viua instituit, quod superiori, in omnibus, praeter caput mortuum, simile erat. Plura experimenta, quae Comes, adiuncto sale tartari, croco veneris et martis peregit, omittimus.

Solutionem salis ammoniaci multum salis alcali fixi prodere, si odorem vrinosum explicare studemus, ostendit; cum tamen pauca calcis quantitas eandem effectum producat, Comes SALVCES putare arbitratur, acidum salis, multa aqua dilutum, plus affinitatis cum calce, quam cum alcali volatili alere, id quod experimenta adducta satis comprobant. Sub finem huius tractationis solide refutauit illos, qui, acidum nitrosum tantummodo esse acidum sal vitriolicum, per phlogiston et alcali volatile immutatum, et acidum salis in eo solum differre, quod alcali volatile non in se recondat, opinantur. p. 149.

4 *Experimenta, ad detegendas causſas mutationum, quae immixtione rerum variarum ſyrupo violarum accidunt, inſtituta ab* EODEM. Iis, quae Cl. NEVMANNVS *) de incerto, quod ex mutato syrupi violarum colore desumitur iudicium, proposuit, incitatus est Ill. Comes, vt mutatos hos colores curiosius sub examen reuocaret et inquireret in causas eorum. Igitur, enumeratis plurimis salibus, indicatisque, quae diuersa edant effecta, quae longum superfluumque foret hic repetere, colligit, ru p. 153. p. 159.

bro

*) vid. Miscellanea Berolinensia Vol. IV.

bro colore acidi abundantiam in eo, quod cum syrupo commixtum est, sale indicari; viridi, dubium, quin falsum de alcali praesentia effici iudicium: nam, si alcali vel volatile, vel fixum adsit, liquorem flauo colore imbui necesse esse. Atque ideo solum coeruleum in viridem mutari, quod interpositis partibus salinis partes mucilaginis albae a se inuicem sint disiunctae: admixto enim sapone, hoque his partibus reunitis, coeruleum redire. Si, praeter hanc interpositionem, substantia salina etiam in partes syrupi agat, nasci vel colorem flauum, cum partes ex coeruleo in viridem mutatae dilatentur tantum; vel rubrum, facta harum partium maiore attenuatione. Nigrum denique colorem sequi ex destructione, vel diuisione mechanica, quae fieri possit, fortissima.

p. 162. Hanc diuisionem partium productam ait Ill. Comes attenuatione phlogisti *). Obtinuit enim, cum phlogisti multum necteret dissolutioni vitrioli, a terra ferruginosa coctione cum gallis diuturna separati, violaceum, tandemque coeruleum regale (*bleu de Roi*); quod etiam expertus est Cl. ROVELLE **). Reductum corpus in carbonem, non phlogisto orbatum, sed eiusdem tantum in illo mutatam distributionem existimat Ill. Comes: in quam rem vlterius alio tempore se inquisiturum pollicetur.

p. 165. 5 IOANNIS BAPTISTAE GABER *de humoribus animalibus specimen tertium.* Primum albuminosam seri partem frigoris ope separauit ab aquosa eiusdem parte, easque in distinctis vasis liquefaciebat. Haec exhibebat liquorem limpidum, volatilem in igne, et acidis non coagulabilem; ille liquorem

*) conf. NEWTONI optic. L. II. P. III. prop. V. p. 98.

**) vid. *Mém. de math. et de physique, présentés à l'Ac. Roy.* Tom. I. p. 580.

morem denſiorem, viſcidulum, igne et acidis coagulabilem, ac digeſtionis ope in clauſis vaſis in puriforme liquamen abeuntem. Admiſcuit ſolutioni cruſtae inflammatoriae cum alcalinis et aquam, in qua membrana ſoluta, gelatinae ſpecie, ad liquoris ſuperficiem colligebatur, nec ſaponacea fiebat; et ſpiritum nitri, quo ſoluta cruſta ad fundum praeceps ferebatur *). Sabuloſa materies **), in quam ſedimentum ſeri tandem fateſcit, aqua, vini ſpiritu, et aceto deſtillato non ſoluebatur; verum acido nitri et alcali volatili promte ſucceſſit ſolutio. Cruſta pleuritica in vaſis clauſis ſponte colliquata in tophos, priori ſabuloſae materiei omnino ſimiles, abiit. Quae de placenta ſanguinis inſtituit Cl. Auctor experimenta, ea cum Hallerianis conueniunt. Fibroſa placentae pars, flocculi ſanguinis, ſi aqua excipitur, naſcentes, membranaque Ruyſchiana, quae ex concuſſo ſanguine paratur, eadem natura ſunt praedita, qua cruſta pleuritica, atque ex albuminoſa ſeri materie conſtituuntur. Alcalinis fixis omnes modo dictae concretiones albuminoſae indurantur atque immutatae perſiſtunt: hinc vtrumque alcali putredinem impedire Noſtro videtur. Experimenta, quae, ad HAENII ***) modum, ad ſal eſſentiale ſanguinis eliciendum inſtituit, oſtendunt, ſal ſanguinis natiuum eiusmodi eſſe, vt nunquam aut aegre in cryſtallos concreſcat. Animalia, animo calore ſuffocata, poſt mortem protinus diſquiſita, non foetuerunt, nec quaedam putredinis ſigna obtulerunt. Cuniculus etiam, fame enectus, nihil putredinis oſtendit.

*) cf. ſpecim. II. §. 30. comm. noſtr. Vol. XII. p. 343.
**) cf. ibid. §. 20. et comm. noſtr. ibid.
***) vid. EIVSD. rat. med. P. II. C. II. p. 86. 87. comm. noſtr. Vol. IX. p. 94.

p. 176. 6. CAROLI ALLIONII *stirpium aliquot descriptiones cum duorum nouorum generum constitutione.* Stirpes hic a Cl. Auctore descriptae atque iconibus delineatae sunt *Ortegia dichotoma*, axillis ramorum vnifloris *), quae in saxosis prope *Ianuam* nascitur. *Bassia* in honorem BASSII, Bononiensis, dicta, quae vero a *Bassia* LINNAEI (Mantiss. II. p. 555) plane est diuersa, neque hanc a LINNAEO videmus indicatam. Est huic plantae *calix* monophyllus, quinquefidus, segmentis acutis. *Corolla* nulla. *Stamina* quinque, *antherae* didymae, supra calicem exortae. *Styli* duo, filiformes ex albo purpurei. *Capsula*, ad basin quinque spinis radiata, *semen* vnum orbiculatum continet. Esse genus Noster ait inter *Chenopodium* et *Salsolam* medium. *Lindernia* **), incola *Pedemontii*, a LINDERNIO in *Tournefortii Alsatici* editione *Pyxidariae* nomine descripta. Denique *Viola acaulis*, foliis palmato multifidis et laciniatis; quae, quamquam in nonnullis a LINNAEI *Viola acauli* differt; eadem tamen planta Nostro esse videtur.

p. 185. 7. *Manipulus insectorum Taurinensium* ab EODEM editus. Collecta et descripta haec insecta sunt a Cl. OTTONE FRIDERICO MÜLLERO, Dano, qui in Taurinensi regione inuenit Friedrichsdalina, Lapponica, Aegyptia, imo Americana: quae ita hic describuntur vt, quae iam definita sunt, LINNAEI nominibus indicentur; noua vero, aut minus nota, ad sua genera cum breui descriptione referantur. Numerus eorum est circiter ducenta. Nondum recepta a LINNAEO reperiuntur sequentia: *Scarabaeus virens*, muticus, capite thoraceque glabris, aeneis; elytris rugoso testaceis, pedibus nigris. (An varietas *Scarabaei nobilis* LINN.?)

Chrysomela

*) vid. LINN. Mant. II. p. 175.
**) vid. ibid. p. 154. comm. nostr. Vol. XIX. p. 433.

Chryſomela Taurinenſis, cylindrica, atra; elytris luteis, punctis ſex nigris.

Chryſomela luteola, oblonga, lutea; thorace bipunctato; elytris faſcia longitudinali nigra.

Curculio craſſus, breuiroſtris, niger; elytris conuexis, ſtriatis.

Curculio centaureae, breuiroſtris, oblongus, griſeus; elytrorum faſciis duabus obliquis, fuſcis.

Cerambyx ſartor, niger, thorace mutico, ſubgloboſo; elytris fuſcis, lineolis punctoque albis.

Leptura marginata, nigra, thorace ſubgloboſo; elytris ſubulatis, vtrinque marginatis, luteſcentibus.

Leptura varia, thorace globoſo, elytrisque flauo virentibus; faſciis nigris.

Cantharis tomentoſa, nigra, thorace teretiusculo; elytris tomentoſis fuſcis.

Buprestis octomaculata nigra; elytris maculis octo aureis.

Mordella paradoxa, antennis pectinatis; capite, thorace elytrisque luteis.

Gryllus bifaſciatus, thorace ſubcarinato, rugoſus; elytris gryſeis; faſciis duabus fuſcis.

Gryllus coeruleus, thorace ſubquadrato; maculis, et punctis vbique coeruleſcentibus.

Cimex Italicus, ſanguineus, ſcutello longitudine abdominis, ſubtus maculis, ſupra faſciis longitudinalibus nigris.

Cimex 4punctatus, oblongus, lamina thoracis elytrisque luteo teſtaceis, maculis quatuor nigris.

Cimex Seguſinus; antennis apice capillaribus; corpore oblongo nigro; elytrorum apicibus coccineis.

Papilio Linea, alis integerrimis diuaricatis fuluis immaculatis; primoribus ſupra lineola nigra.

Sphinx Virginea, alis ſuperioribus cyaneis; maculis quinque, punctisque totidem rubris albo marginatis.

Sphinx ligata, alis omnibus nigris albo maculatis abdominis faſcia duplici aurea.

Sphinx variegata, abdomine barbato; alis hyalinis, margine ferrugineis.

Libellula Pedemontana, alis hyalinis macula fuſca puncto marginali corporeque ſanguineo.

Panorpa Italica, lutea, alis aequalibus, puncto marginali; abdomine falcato.

Tenthredo quadrimaculata, antennis clauatis, nigra piloſa; fronte, ſcutello, abdominisque maculis quatuor flauis.

Tenthredo bifaſciata, antennis ſeptemnodiis, nigra abdominis faſciis duabus, tibiisque poſticis albis.

Ichneumon punctator, niger, abdomine ſubtus albido, bifariam punctato; pedibus ſubflauis.

Veſpa quinquefaſciata, nigra, thorace lineis punctisque, abdomine faſciis quinque, punctisque quatuor luteis.

Veſpa horticola, nigra, thorace lineola, punctisque duobus, abdomine faſciis quinque interruptis, pedibusque luteis.

Veſpa 6maculata, nigra, thorace immaculato, abdomine maculis 6 albis; alis baſi fuluis.

Apis inſubrica, nigra, nitida, alis coeruleis nitentibus.

Apis fulua, hirſuta, nigra; thorace abdomineque fuluis.

Apis paludoſa, hirſuta, nigra; thorace antice ac poſtice, abdomine antice flauis; ano albido.

Muſca Valentina, antennis plumatis glabra; thorace ferrugineo; abdomine flauo, cingulis duobus nigris.

Muſca cincta, antennis ſetariis, piloſa; thorace coeruleſcente; abdomine ferrugineo; linea dorſali nigra.

§. 10. PETRI MARIAE DANA *de* Hirudi- p. 199.
ne nona specie, noxa, remediisque adhibendis. Ani-
malculum descriptum, ac cum diuerso situ, tum na-
turali et aucta magnitudine depictum dicitur *Hi-
rudo alpina, nigricans, ventre ad medium bilineato ex-
pallato, corpore ab ore et cauda nulla depressione di-
stincto.* Vulgari *Hirudini* habitu similis est, multo
vero eadem minor, longitudinem duarum linearum,
et latitudinem linearem aequans. Digito, fonti
immerso, haec *Hirudo* non adhaeret; non bene vi-
vit, nisi in aqua frigida; in calida, vel solo sicco pe-
rit, neque poterat ex montibus deferri. Interior
eiusdem structura non offert, nisi tubum conuolu-
tum intestinalem, pellucidum humorem continens.
Ab *Hirudinibus* LINNAEI differt, quod neque eius
os, nec cauda in orbiculum expandatur. Cauen-
dum est ab iis quam maxime, cum deglutita et pe-
coribus, et hominibus necem inferant. Sympto-
mata, inde oriunda, haec sunt: primum conque-
runtur aegri de quodam rosionis sensu in ventri-
culo. Accedunt tormina et conatus vomendi ve-
hementissimi, aestus dolorificus in ventre percipi-
tur, dentibus strident aegri, exagitantur, frigent,
per interualla delirant, singultiunt, vomunt, vultu
mutant. Alii post frigus toto corpore conuellun-
tur et incalescunt. Omnes sudore ac frigore de-
mum superueniente moriuntur, saepius primo die,
alii diem alterum attingunt. Antidota, quae, si prom-
pte dantur, sanitatem restituunt, tardius exhibita
symptomata mitigant seruantque vitam, sunt sal,
oleum et agaricus laricis. Hic exsiccatus et cum
pipere mixtus adhibetur. Aqua tepida, sero lactis
vel lacte copiose et prompte ingestis, etiam sym-
ptomata mitigantur atque interdum sanitas redditur.

9. EIVSDEM *de quibusdam* Vrticae marinae, p. 206.
vulgo dictae differentiis. Prima constituit nouum ge-

nus, *Armeniſtari* a Noſtro dictum, charactere hoc: *Animal corpore ſubcartilagineo, tenui complanato, baſi ab erecto velo diuiſa, arcubus lineata, margine tentaculato.* Speciem dicit *Armeniſtari tentaculis in membranam perfecte coalitis.* Baſis eiusdem quali oblonga eſt, ſuperior ſuperficies leuiter conuexa, inferior concaua eſt. Coloris eſt hoc animal coeruleo argentei. Icones additae reliqua declarant. Ad hoc genus etiam referendam putat Auctor Cl. *Meduſam Velellam* LINNAEI. Poſtea duas *Meduſae* ſpecies, alteram *Meduſam, per contractionem hemiſphaericam, leuem, tentaculis plurimis, membranae interius 24 punctatae reuolutione detegendis;* alteram *Meduſam orbiculatam, vtrinque compreſſam, tentaculis marginalibus plurimis, perpetuo nudis,* deſcribit, et egregie depictas ſiſtit.

p. 1. 10. *Commentarius de motu chordarum oſcillantium exponens,* Auctore Cel. EVLERO.

p. 27. 11. EIVSDEM *de motu chordarum, inaequali craſſitie praeditarum, diſquiſitiones.*

p. 60. 12. EIVSDEM *de integratione aequationis* $\left(\frac{ddz}{dt^2}\right) = aa\left(\frac{ddz}{dx^2}\right) + \frac{b}{x}\left(\frac{dz}{dx}\right) + \frac{c}{xx}z$

p. 92. 13. EIVSDEM *de conſtruendi ratione nouorum perſpicillorum, quinque et ſex lentibus praeditorum, eorumque vlteriore perfectione.*

p. 152. 14. *Formulae dioptricae, quae, vt intelligatur antecedens commentarius, ſunt neceſſariae,* Auctore Cl. DE LA GRANGE.

p. 156. 15. *Obſeruationes circa integralia formularum* $\int x^{p-1} dx (1-x^n)^{\frac{q}{n}-1}$ *poſito poſt integrationem* $x = 1$, Auctore Cl. EVLERO.

16. So-

16. *Solutio variorum problematum calculi inte-* p. 179.
gralis, Auctore DE LA GRANGE.

17. *Excerptum ex diuerſis epiſtolis* Cl. D'ALEM- p. 381.
BERT ad Cl. DE LA GRANGE *ſcriptis annis* 1764
et 1765.

XVI.

Hiſtoria febris miliaris et de hemicrania diſſertatio. Auctore IOANNE FORDYCE M. D. Accedit de morbo miliari epiſtola CAROLI BALGUI, M. D. Londini, apud D. Wilſon et T. Durham 1768. 8. pagg. 106.

Morbi antiquitate nominisque diuerſitate ex variis Auctoribus, hac de re qui diſſeruerunt, nonſtratis, additaque purpura puerperarum, inprimis Lipſiae, graſſata et a WELSCHIO, LANGIO aliisque deſcripta, Noſter miliarem morbum, adiectis ſuis ſignis, exacte definit.

Quod ſi Cl. Auctor de purpura alba, febri mi- p. 16.
liari aut veſiculari agit, intelligit morbum his ſignis conſpicuum, quorum nonnulla aut pleraque adſunt per totum eius decurſum. Incertae horripilationes aeſtusque per viciſſitudines, pulſus celer, inordinatus, inquietudines, dolor capitis, vigiliae, ſomni perturbatio, circa praecordia oppreſſio, deliquia animi, ventriculi labes aut ſubuerſio cet. Huic morbo opportuniores ſunt ii potiſſi- p. 18.
mum, qui ſero abundant acriori minus ſpirituoſo.

Enarratis igitur praecipuis morbi ſignis, genio p. 21.
atque hiſtoria, ad cauſſas, prognoſtica et methodum medendi Noſter progreditur. Bis paſſus eſt Noſter purpuram, cum enitentibus puerperis opem ferret. Languores inſueti, anxietates et ſuſpiria,

ac ſi cincta eſſent praecordia, praeter alia, eruptionem comitabantur. Praeterea obſeruauit Noſter per ſedecim annos recenter enixas inprimis verari purpura alba.

p. 28. Eruptiones miliares, cum aphthis coniunctas, niſi in infantibus, raro ſe conſpexiſſe confitetur Noſter. Frequentiores in cruribus puſtulae raro obſeruantur. Miliares ex ſolo odore acoris, quo redolent ſudores, praedixit.

p. 33. Mulieres et inprimis puerperae hac febre purpurata viris ſaepius laborant. Vtrum quoniam lactea materies, tunc percurrens vaſa, pabulum foveat mali augeatue; an quia, effluxa forſan portione rubri optimique ſanguinis, chylus nouus craſin nuper effuſi illius nondum adeptus ſit? In iis enim, dum puſtulae apparent, lac recedit, quod aegre poteſt reuocari; ſane haud absque harum incremento, vel deſquamatione.

p. 42. Purpuram albam ſaepe apparere, nec retrocedere; et nihilominus tamen mortem inducere exemplis confirmatur. Accedunt non raro dolores et tumores, in locis inferioribus vel plerumque in pedibus. Inprimis puerperis, vnde fere fiunt paralyticae, aliquando ſic ſunt inflammata crura, vt pus inde natum viderit Noſter.

p. 48. His aliisque rebus, a nobis hic praetereundis, praemiſſis, auxilia Noſter perſequitur. Anxietates enormes, cum morbo miliari coniunctas, maxime iuuant crocus, camphora, confectio cardiaca teſtaceis addita, aut vini generoſi cochleare vnum alterumue. Suadet enematum et purgantium nimis adeo cautum vſum, inprimis enematum. Venaeſectionem, ſi opus eſt, admittit in purpura. Purpura laborans puerpera, cathartico leniori ſumto, eodem die deſiit viuere.

In

In grauidis nec ſanguinis miſſionem, nec ca- p. 59.
tharſin valuiſſe ad purpuram in puerperis auertendam vnquam Noſter obſeruauit, cum voracitati et omnino intemperiei nimis indulgeant.

„Ad humorem tam diluendum, quam eliminan- p. 61.
dum, infuſa calida, Noſter ſuadet. Potui Caffeae non tribuit purpurae ortum.„

Sed haec hactenus de purpura. Iam de hemi- p. 80.
crania videamus. Hic morbus, lubenter reuertens Noſtro potius idiopathicus, quam ſympathicus videtur, aere, ſole, frigoreque facile excitatur; quippe quibus et caput magis expoſitum eſt, quam ventriculus et abdominalia viſcera, vnde non raro deriuant hunc morbum eumque ipſum per conſenſum explicant.

Ex oſſium cranii aut carie, aut praeter naturam p. 86.
augmento, aut e cartilaginoſa ſubſtantia caluariae adnata deriuari poſſe hemicraniam Noſter cum WEPFERO aliquoties expertus eſt. Interdum et cerebrum corruptum, ichore ſanieque refertum, reperierunt diſſectores. Generat et hemicrania alia capitis mala. Arthritis non raro leuat, quin imo tollit illam.

En huius mali curationem! Venaeſectio quanto p. 88.
propius, tanto felicius inſtituatur parti dolenti. Nec minus conducunt hirudines temporibus affixae. Arteriotomiam vero raro plus, quam venaeſectionem hic praeſtare, fatendum eſt Noſtro. Praeterea emetica, rubefacientia, veſicatoria, ſetacea et ſimilia in auxilium vocat. Inprimis autem hic laudat et reliquis remediis praefert radicem valerianae ſylueſtris, quae ante, quam caulem edat, eſt effodienda, et ter quaterue de die, ſi ventriculus ferat, drachma eius in puluere exhibenda.

Aliquos

p. 97. Aliquos diu hemicrania graui ex cranio, carie eroſo ſeu humore impleto, vel ex dente corrupto aut vacillante laborantes videre Noſtro contigit.

p. 101. Circa finem huius libri annexa eſt epiſtola CAROLI BALGUY de morbo miliari. Febris miliaris eſt triplex: vel puſtulae albae ſunt, febre maligna continenter vrgente; vel ſubrubrae, febre inſigniter remittente; vel prorſus efflorescentes ſpeciem intermittentis imitantes, quae minus inſtis remediis tractatae facile in chronicas transeunt, aliquando periculoſae et ſaepius recidiuae. Haec triplex diſtinctio morbi miliaris methodum his medendi dirigit, et caſus a Noſtro hic enarrati potiſſimum vindicant corticis Peruuiani vſum in febrium miliarium ſpeciebus.

XVII.

CAROLI A LINNÉ, equ. aur. Acad. Reg. Paris. membr. Clauis Medicinae duplex, exterior et interior. Holmiae, impenſis direct. Laurentii Saluii 1766. 8. pagg. 27.

Breuiſſimi huius, at plurima complectentis libelli liceat hic ſummam inſtitutique rationem tantum repetere, cum ſingulae eiusdem poſitiones magis commentatione quadam indigeant, quam in epitomen redigi queant. Neruoſiſſimo, quod cum de origine et opprobriis medicinae, tum de veri medici officio exponit, praeloquio praemiſſo, ſchema totius medicinae tabulis ab Ill. Auctore proponitur. Atque, cum duae maxime videantur Ei in
p. 5. oeconomia humana functiones, altera *vitalis*, altera
p. 6. *animalis*: has etiam Noſter ſolas attendit, atque nominat clauem exteriorem *paternam*, qui *vitalis*

ſapidis

sapidis aperiat; interiorem, *maternam*, a quo *animus*, *olidis* referantur. Sapidas enim corporum p. 5.
naturalium qualitates functiones vitales refarcire, at ab olidis animales actiones insufflari contendit. In vtraque igitur parte, vel *claue*, quatuor capita occurrunt, pathologia, diaeta, natura et therapia.

Pathologia clauis exterioris, considerat morbos p. 7.
humorum et solidarum fibrosarum partium: qui in ipsa tabula recensentur, eique subiiciuntur nomina morborum. Morbos hos quum errores in rebus non naturalibus, praeter pathemata, efficiant: hae cum suis effectis sub capite diaetae p. 8.
recensentur. Tertio capite corpora sapida eorumque in fluida et solida vires enumerantur, vbi affirmat Ill. Auctor, *naturam secundum qualitates sensuum sapidas seligere vires diaeteticas et medicas*. His iam morbis humorum et solidorum fibro- p. 9.
rum therapia medetur, adhibitis sapidis corporibus, iis, quae morbo vnicuique contraria sunt, ideoque eum tollunt. p. 10.

A partibus encephali, quas facit Ill. Auctor p. 11.
medullam caudalem, spinalem, oblongatam, cerebellum, cerebrumque, fieri per neruos functiones animales, quae in altera parte considerantur, ait: „has *ali* corporis subtilissimo *halitu; flagrare* vestali, inconspicuo, singulari *electrico* (veterum spiritus animales intelligit); *mutari* a volatili *olido*; „effici ab iis generationem, vigorem, actionem, sen„sum, vigiliam:„ in horum actu conspici pathe- p. 12.
mata, eorundemque excessu morbos nasci, quos recenset, ab aliis neruosos dictos: his mederi thera- p. 14.
piam, qualitatibus olidis, a natura subministratis, quae morbo contraria effecta edant.

His

p. 15. His subiicit Ill. Auctor, corporum naturalium quae qualitates vel olidas, vel sapidas atque alias possideant, numerum. In notis subiectis eorum vires, et quibus medeantur, quibus noceant, [illegible] indicat.

XVIII.

Examen des principales méthodes d'administrer le mercure, pour la guérison des maladies vénérienne. Par Mr. DE HORNE, Docteur en Médécine, ancien premier Médecin de l'hôpital Royal & militaire de Metz. à Londres & à Paris, chez P. Fr. Didot 1769. 8. pagg. 172. avec épitre & avant-propos.

i. e.

Examen praecipuarum, mercurium praeparandi et ad curandos morbos venereos exhibendi, methodorum. Auctore Cl. DE HORNE Med. Doct.

Quum mercurius sit remedium, quo tot tantaque modis vti soleant et medici, et medicastri, aliique aliam tanquam optimam praedicent methodum: operae pretium esse putat Cl. Auctor singulas, easque praecipuas recensere methodos, atque quid de iis ex fundamentis chemiae et verae medicinae statuendum sit, definire, quo ita ii, quibus praeparatio et compositio singulorum praeparatorum incognitae sint, veram eorum cognitionem accipiant, neque vanis nonnullorum, qui, si casu, vel etiam vera scientia nouam quandam lui venerem medendi rationem se inuenisse opinentur, eam [illegible] tim iucundissimam, tutissimam, omniumque facilimam esse proponant, decipiantur gloriosis ostentationibus. Hos enim, quum sine ratione ceteros conte-

minant methodos, ſuamque arcanam praedi-
, ſuſpectos eſſe, et vix ab iatroaliptis differre,
oque, ne ſanitati, cui inſidientur, noxas infe-
, cauendum eſſe affirmat. Generatim vero mer-
ium ſublimatum ceteris praeſtare arbitratur:
in re, quanquam ea, quae afferat non omni
itatione maiora, nec ſatis frictionum et mercu-
dulcis effecta ponderata nobis videantur; ce-
tamen egregie enumerata, atque PIBRACI
ra ſublimatum corroſiuum obiectiones refuta-
, et BELLETI ſyrupum mercurialem, vt inſuffi-
dubiumque remedium, clare et ordinatim
poſitum eſſe omnino confitendum eſt.

Mercurium, quem veteres venenum habebant, p. 1.
nec morbis cutaneis eum mederi obſeruarent,
gentis et linimentis, frictione applicandis in lue
erea primo adhibitum eſſe oſtendit; eiusque
in primo nimis paruam, deinde adeo auctam
ſſe, vt, mortem inducens, inſtar peſtis fugeretur.
Quapropter emplaſtra mercurialia, quae minus pe- p. 3.
oloſa videbantur, adhibita eſſe; quae tamen
nunc, quoniam, praeter preſſionem immobilitatem-
que in corpore inde excitatas, vix vnquam effecta
orta edant, eruptionibusque cutaneis, atque inflam-
mationibus eryſipelatoſis occaſionem praebeant,
in bubonum, nodorum, exoſtoſium venerearum,
aliorumque tumorum curatione ſolum applicari
commemorat Cl. Auctor. Fumigationes mercuria- p. 4.
les, ab aliis laudatas, ab aliis vero ſemper accuſa-
tas, celeriter quidem ſymptomata venerea diſcuſ-
ſiſſe; cum tamen ea mox redirent, palliatiuam cu-
rationem tantum praebuiſſe; praeterea multa in
corpore mala attuliſſe. Quare, quum nouiter rur-
ſus in vſum vocari coeperint, ab ASTRVCO omni-
no reiectas, nec, niſi in ophthalmiis venereis, vl-

ceribus

ceribus fiſtuloſis, lue venerea inueterata, tume-
p. 6. busque partialibus adhibitas eſſe. Lotiones, [illegible]
mercurio ſublimato corroſiuo et arſenico a pla-
bus, vt periculoſae, ab omnibus, vt inefficaces e-
reiectas.

p. 7. Iam ad frictiones accedit Cl. Auctor, easque
vnguentis purgatis, ſimplicioribusque redditis, a
omnibus adhibitas eſſe dicit, vt excitarent, quam
lue venerea curanda neceſſariam habebant, ſaliu-
tionem. Quam tamen, cum partes mercurii in gla-
dulas oris palatique trahat, reliquasque miasma-
venereo infect[illegible] partes iis ipſis priuet, purgatione
que interpoſitae pariter non conueniant, atq
aegri morbo eodem rurſus afficiantur: inutilem
periculoſam exiſtimat, neque, niſi a pertinaci
inſciis et empiricis, adhiberi; quod vero nobis
ſatis vere dictum, ſed leuiter modo conſidera
videtur. Neque meliorem eſſe putat eam, q
minori doſi maioribusque interuallis infricat
mercurius, rationem: eſſe enim eandem ineff
p. 12. cem. Balnea tepida, frictioni adiuncta, et, ne
vatio ſequatur, adhibita, vt mercurius facile
vaſa percurreret, virusque venereum tutius rele
veret, effeciſſe: quoniam tamen mercurium abl
rent, atque ſaliuationem, eamque magnam, e
ſci finerent, inutilia viſa, et ad quaedam genera
in hominibus ſiccis, melancholicis, hypochondria
p. 15. cisque, tantum reſeruata eſſe. Balnea frigida, quae
cum nouum quid eſſent, externaque ſupprimerent
venerea ſymptomata, nuper adhibita fuere, omi
no, tanquam fallacia et aegris maxime periculo
reiicit. Praeterea, vt ſine ſaliuatione adhiberetur
mercurius, eum purificare ſuſceperunt medici, et
alii quidem aliter; mercurium tamen, ex cinnabari
obtentum reuiuificatione, optimum plurimos ha-
bere

dicit. Non minus tamen hanc frictiones fu-
rationem multam praeparationem exigere,
propter corporum diuerſitatem incertam
, multisque adeo eſſe noxiam, vt plurima in-
moda, diuturnaque debilitas ſequantur.

Hinc factum eſſe, vt de mercurio interne exhi- p. 27.
do cogitaretur, atque is, variis ſulphure, gum-
bus, terreis, ſalibusque additis, praepararetur,
taque ſplendida nomina acciperet: ſic tamen
nihil effectum eſſe, vel in primis viis mala in-
. Praecipitatos mercurios ex ſpiculis ſuis inuti-
fuiſſe, ideoque, vt acidum obuoluerent, tentaſſe
dicos, mercuriumque dulcem et panaceam mer-
ialem inde nata eſſe. Miramur tamen Cl. Au-
reth ex praecipitatis, acidis actiuis particulis per
pora intermedia obuolutis, mercurium dulcem
panaceam confici perhibere; cum ea, vti notum
, ex mercurio ſublimato et viuo intritis ſubli-
tisque ſaepius enaſcantur. Neque ea, quae enu-
rat, mala, ſpaſmos nempe ventriculi, rupturam
antes, quos ſequerentur morbi chronici, ex re-
o eorum vſu orta eſſe concedimus. Solutiones p. 32.
mercuriales, cum cauſtica vis imminuta aqua vide-
tur, a nonnullis adhibitas; effecta tamen non re-
ondiſſe affirmat.

Ita tandem mercurium ſublimatum corroſiuum p. 37.
apparuiſſe, in quo omnem fruſtra prioribus tribu-
tam vim inueniri contendit. A ſeptentrionalibus
populis primum adhibitum eſſe, ABOERHAAVIO
tanquam verum ſolubilem praedicatum, SWIETE-
NIVMque, cum illius veſtigiis inſiſteret, hunc plane
deſiniuiſſe, et rationem, qua recte exhiberetur,
oſtendiſſe in omnibus perfectam. Cum autem re-
medium hoc nimis acre videretur, medicos alios

alcali addidiſſe, ſed inde praecipitatum natum eſſe alios ſpiritum vini coniunxiſſe, non tamen vim dulcificationem, quam vocat, perpendiſſe SWIETENIVS, cum olea non conuenirent, res ſpirituoſos vegetabiles his ſubſtitueret. quam vero mercurius ita ſolubilis fiat, omnibus in partibus corporis noſtri aequalem vim atque haec ratio conuenientiſſima videatur: tamen nauſeae nonnunquam atque a ſpiritu noxae in ventriculo eueniant, praeſtare affirmat Cl. Auctor mercurium in aqua deſtillata ſoluere cum ea non ſolum eius acrimoniam imminuat, etiam de vi ſublimati nos certos reddat. In vſu prius nihil, praeter aquam deſtillatam vel viatilem, bibendum eſſe, quam conſtet transiſſe vias lacteas mercurium; omninoque, poſtquam ſumtus ſit, aquam deſtillatam largiter eſſe bibendam.

p. 46. Commoda, ex hac ratione redundantia, praecipua eſſe commemorat Noſter, vt quantitas mercurii, in corpus ingeſti, recte cognoſcatur, effecta certa ſequantur, nec vigilans medicus facile decipiatur; eaque cum ex effectis, tum ex comparatione, quam inſtituit, cum tartaro emetico cognoſci. Vim, qua agat mercurius ſublimatus, cum hanc grauitas et diuiſibilitas non ſufficiant, ponit Cl. Auctor in ſulphure, cuius euolutio, acido additum, fiat, id quod pilulae KEYSERI aliaque praeparata confirment. Deinde deſcribit modum, quo operatur ſublimatus, eumque vix ſentiri dicit, ſed effectis ſolum cognoſci. p. 56. Prodeſſe praeterea in hydropibus, phymoſi et paraphymoſi, ita etiam in cancro et vlceribus venereis, quorum curationem vulgarem reiicit, atque ſublimatum interne, cum vna externe vlcera decoctis detergentibus luantur, in quae guttulae nonnullae mercurii ſublimati, in ſpiritu vini ſoluti, immiſſae ſint, in his cru-

rudis

optime adhiberi; neque vllos remanere do-
; ſed omnia penetrari ab eo, atque eſſe ob aci-
ſalis marini antiſepticum. Praeterea omni p. 60.
, omnique tempori conuenire, neque vllam,
venaeſectionem et purgationem in plethora
ſaburra primarum viarum, requiri praeparatio-
curationem clam omnibus poſſe inſtitui, at-
aegrum, poſt ita ſuſceptam curationem, ſtatim
ad negotia ſua aptiſſimum.

lam PIBRACI*) ſententiam, qua ſublimatum in- p. 66.
it, disquirit et refutat Noſter. Primam enim
mentationis huius partem, qua ſublimati ex-
adhibiti noxae proponantur, ſublimato nihil de-
ere, inde patere affirmat, quod obſeruationes
morbis, per ſe inſanabilibus, ſint inſtitutae; al-
m autem, qua ſublimatus, interne datus, no-
declaratur, cum, quae PIBRACVS auditu ſo-
acceperit, neque exempla recte citata, aut ob-
ationes curate inſtitutas, contineat, per ſe in-
am, nulla refutatione egere; quam tamen ad-
berrimam, atque vel vana, vel falſa eſſe, quae
ferat PIBRACVS demonſtrat, eumque cum ad
ntiam, tum ad experientiam redire iubet, quae
liora doceant.

Mercurium, acido vegetabili ſolutum, in pilulis p. 95.
EYSERI, quas iam examinat Noſter, effectis et
ceſſu non reſpondere contendit. Pilulas has
eto vini paratas eſſe, quod triplici modo fiat, vel
turando cum aceto mercurium; vel digerendo ſat
rti igni mercurium, quo puluis ſubruber facile
eto vini ſoluendus obtineatur; vel coniungendo
um nitro, atque per alcali praecipitando, praeci-

*) cf. Mémoires de l'Academie de Chirurgie Vol. IV. p. 153. vbi commentatio eius inſerta eſt. vid. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 13.

pitatumque dulcificando, et cum aceto misceri obtineatur: indeque eas esse sal mercuriale, ex particulis mercurii, acido vegetabili dissolutis, atque cum forma pilularis electa sit, ex parte vini evaporante constans; quae vero pars sini huic non conveniat, saltim inutilis sit. Cum porro acetum commune adhibeatur, illud non satis forte esse, vt mercurius aequali modo soluatur. Haec duo incommoda corrigi putat Cl. Auctor, si acetum destillatum adhibeatur. Ceterum pilularum excipiens non esse gummi mucilaginosum et terreum.

p. 102. Hanc vero methodum non nouam esse affirmat Noster, cum a BERNARDO PENOTO, in thesauro chymico Strasburgensi anno 1613 iam in morbis venereis adhibita sit. Quamquam autem Cl. Auctor hanc rationem non omnino improbat, sed quodam modo concedere videtur; attamen et formam pilularis, et vis purgans, borborygmos, colicas, spasmos a mercurio, qui causticus factus sit, deriuanda, fluxum excitans, saliuatio, atque vitium, quod his pilulis cum omnibus solutionibus mercurialibus, praesertim sublimatum corrosiuum, commune sit, decompositionem nimirum mercurii in ventriculo, Ei vehementer displicent. Solubilitatem enim earum inde, quae saliuationem moueant, venereaque symptomata dissipent, non euinci, quum mercurialia purgantia interdum eadem efficiant, saliuatioque per consensum excitetur.

p. 111. Denique in BELLETI syrupum mercurialem inquirit, remedium, quod, quo famosius fuerit, eo pernicosius existimari meretur. Solum nomen syrupi iam cepisse et fefellisse homines, cum putarent remedium esse nactum, quod curaret tuto atque iucunde: nihil vero minus, quam hoc, inde expectandum esse Cl. Auctor, et ex analogia, et examine chemico

mico inſtituto probat. Quamquam enim BEL-
ZIVS ne minimum quidem acidi mineralis ei in-
dicit, neque vllam habere cauſticitatem, ſed
mae ſolum reſolutioni inſeruiſſe, atque acceſſio-
aetheris idem, quod in commixtione aetheris
auro in aqua regis ſoluto fieret, eueniſſe: ex
tamen ipſa analogia patere Noſter dicit, ſy-
po huic ineſſe ſpiritum nitri, vel praecipitatio-
mercurii, eumque ideo cauſticum atque ad cu-
dam luem veneream inutilem putandum eſſe.

Ne vero ratiociniis ſolum inſiſtere videretur, p. 115.
men chemicum et cum ipſo ſyrupo, et cum li-
re fundamentali eiusdem inſtituit Noſter et vi-
: in lagena, quae ſyrupo plena eſſet, griſeum ſub-
re ſedimentum, quod omnia ſigna mercurii ha-
et; auro enim album colorem induxiſſe, atque
m, ope aquae, omnis eſſet elutus ſyrupus, pul-
rem ſiccatum mercurii globulos partim oſten-
ſſe, partim remanſiſſe maſſam, quam, igne ad-
to, eſſe cognoſceret Noſter paullulum mercurii
materiae ſyrupum conſtituentis. Ita ex omni la-
na ſe obtinuiſſe commemorat octodecim grana
ercurii; experimenta enim reliqua nihil mercurii
aebuiſſe Deſtillato, qui relinquebatur, ſyrupo,
btinuit ſpiritum nitri dulcificatum, viditque in re-
rta remanere partem quandam ſeſe inſpiſſantem.

Inde patere contendit Cl. Auctor mercurium non p. 121.
exacte combinatum eſſe, ſed ſponte ſeſe praecipi-
taſſe, forſan ideo, quod calcarea pars, quae in maſſa,
ad ſyrupum requiſita, adſit, cum acido intimius
coniungatur.

Quae quo magis vera apparerent, acidumque, p. 122.
quo mercurius ſolutus eſſet, melius cognoſceretur,
partique calcareae mercurii praecipitationem tri-
buendam eſſe eluceret, liquorem, quem dicit BEL-
ZIVS, fundamentalem vlterius disquiſiuit, atque

cum lagena, quae vncias quatuordecim et ſex dr
chmas liquoris continebat, ſequentia inſtituit exp
rimenta: Aperta eadem, exiſtebat ſufurrus, qu
fumus albicans ſequeretur; vncia eiusdem vin
tro ſicco et conico immiſſa, quod coopertum a
libero exponebat, poſt decem dies omnem, qu
antea ſpargebat, nitri ſpiritui ſimilem odorem
ſit, nihilque, praeter ſaporem acidum, retin
deinde, cum liquori oleum tartari per deliquium
miſceret, efferueſcentia oriebatur, qua comm
tione, ad ſaturationis punctum continuata, in fi
odor nauſeoſus naſcebatur; atque, quod poſt e
porationem obtinebatur, ſal, nitri cryſtallos o
debat: vnde colligit Noſter, patere, acidum ni
ad diſſolutionem mercurii eſſe adhibitum. Praeter
alcali volatile odore, cum liquori immitteretu
priuabatur, atque efferueſcebat. Deſtillatione p
ma liquor, ſpiritui nitri dulci in omnibus ſimil
deſtillabat; qua, cum remanente in retorta liquo
continuata, aqua acida, odoris illi ſpiritus nitri fe
me ſimilis, obtinebatur. In ſummo retortae fi
culi materiae cuiusdam ſublimatae conſpiciebantu
et in fundo eiusdem erat maſſa ſalina coloris ſ
phurei; quae cum denuo ſublimaretur in collo re
tortae materiam nigram, odoris empyreumatici o
ferebat; haec Noſtro videtur pars ſpiritus vini ni
troſi: guttulae etiam mercurii in collo conſpicie
bantur, et in fundo caput mortuum materiae po
deſtillationem relictae. Mercurium itaque liquo
fundamentali etiam ineſſe patefieri arbitratur No
ſter, qui quidem diſſoluens ſuum reliquerit,
ſponte ſeſe praecipitauerit.

Atque haec quidem, quum omnia, quae a Cl.
Auctore addantur, argumenta afferre breuitatis ſtu
dio impediamur, ſufficiant ad inutilitatem inſuf
cientiamque huius remedii demonſtrandam, id vnum
ſi ad

ddiderimus, ne effectis quidem illud votis re-ndiſſe. Ex vno enim et viginti aegris, quos LLETVS proferat, quindecim ſolum curatos vi-e, tres non curatos e noſodochio egreſſos, que mortuos; omnesque alios plus, alios mi-ſenſiſſe, calores aeſtusque ventriculi, capitis do-, tormina, fluxus ventris, febres et alia plura commoda. Recte itaque Cl. Auctor hoc reme-reiicit, nec vllo modo, quae a BELLETO lau-tur, cum analyſi chemica conciliari poſſe iudi-, niſi recenter parata medicamenta his incom-dis carere perhibeat ille, quod tamen non impe-in noſtrum corpus remoueat, neque remedium tum et duraturum efficiat.

XIX.

Recherches pratiques ſur les différentes manie-res de traiter les maladies vénériennes. Par I. I. GARDANE, Docteur-Régent de la Fa-culté de Médecine de Paris, Médecin de Montpellier, Cenſeur Royal, des Sociétés Ro-yales des Sciences de Montpellier, de Nanci et de l'Académie de Marſeille. — A Paris, chez P. Didot le jeune. 1770. 8 mai. pll. 20. dedic. et praef. pll. 2.

i. e.

Cl. GARDANE disquiſitio practica variarum methodorum, morbis venereis medendi.

Poſtquam in capite primo ſigna diagnoſtica morbi venerei, per totum corpus obuia, ſuccincte ex-poſuit Cl. Auctor: in ſecundo in originem eiusdem p. 13. inquirit, quam primo non eſſe ex America in Eu-ropam delatum euincit, et poſtea originem eius in remotiora tempora ponendam eſſe potiſſimum

contra Cl. ASTRVC probat, additis multis e
ſcriptoribus priorum ſeculorum teſtimoniis, etia
eorum, qui medici non fuerunt: quorſum ſpe
ctant hiſtoria quaedam ex PALLADIO, ab ipſo C
ASTRVC citata; dyſuria EPICVRI, cuius CIC
RO meminit, et alia eiusmodi; verba PERSII, i
in venerem putret, aliaque loca aeque ambigua HO
RATII, IVVENALIS, MARTIALIS, imo ipſ
deſcriptio (licet poetica, ideoque liberior, forte ta
men eam ipſam ob cauſſam veritati minus reſpon
dens) peſtis Athenienſis, quam LVCRETIVS ex
hibuit. Mirum eſt, cum Cl. Auctor adeo ſolliciti
morbi huius veſtigia in ſcriptis veterum quaeſiue
rit, Ipſum morbi campani, quem HORATIVS me
morat, nullam mentionem facere. Ceterum in tota
hoc capite multum vſus eſt opera Cll. RAY
MOND*) et SANCHEZ**), quare vlteriori eius re
cenſioni nunc ſuperſedere nos poſſe arbitramur.

Caput tertium, in quo inefficacitas ſolorum re
mediorum ſudoriferorum absque mercurialibus de
claratur, itidem tranſimus, quo ad caput quartum
p. 51. pergamus, quod de praeparatione vſuque mer
curii agit. Is, non niſi reſuſcitatus ex cinnabari in
vſum vocandus eſt: vires eiusdem noxiae vel ab
admixtis corporibus heterogeneis, v. c. plumbo
cet. vel a peruerſa eum exhibendi ratione pendent,
vel principiis precario et ex hypotheſi aſſumtis ad
ſcribuntur, ideoque vanum timorem incutiunt.

Quod autem diuerſos eum in vſum vocandi
p. 58. modos ſpectat, in capite quinto de frictione diſſe
rit,

*) Hiſtoire de l'eléphantiaſis, à Lauſanne 1767. 8. vid. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 455 ſeqq.

**) Hunc enim nunc monemus auctorem eſſe libri: Diſſertation ſur l'origine de la maladie vénérienne, par Mr. S ** à Paris 1765. 8. vid. eorundem comm. Decad. II. Suppl. I p. 156 ſeqq.

tur, cuius duplex ratio esse solet, altera qua salivatio excitatur; altera per extinctionem, vti vocant, medicis Monspessulanensibus familiaris. Nobis tamen Auctori neutra arridet, quum in priori vix, vel summa etiam cautione adhibita, euacuationum quaedam constantia obtineri queat; quum vel leuior ptyalismi gradus funestarum iam symptomatum metum faciat; quum diarrhoea, saliuae fluxui succedanea, saepe molesta et periculosa euadat; quum transpiratio ab inunctione mercurii suppressa haud facile incommodis careat; quum denique mercurius, hoc modo in corpus ingestus, facillime rursus priorem formam acquirat, et in hac illaue parte interius collectus haereat. Modus per extinctionem autem, licet inunctioni quam maxime praeferendus; saepe tamen insufficiens, semper minus promtum, et semper ideo minus tutum remedium sistit, quod quantitas mercurii corpori applicata exacte supputari nequit, cum fieri non possit, quin multum sub ipsa applicatione perdatur. Praeterea vtraque methodus id habet incommodi, quod, qui ea vtuntur, negotiis libere vacare nequeant, et, quibus est temperamentum pituitosum et phlegmaticum, eadem laedantur.

Caput sextum fumigationes et balnea mercuria- p. 76.
lia considerat. Quamquam prius auxilii genus interno mercurii vsui longe inferius est; esse tamen possunt casus, vbi, reliquis omnibus incassum tentatis, ad illud confugere liceat, cum certe sudor ope vaporum mercurialium melius, quam accensi spiritus vini, prouocetur: sed eodem non, nisi corpore iam praeparato, iunctisque simul mercurialibus internis, vti conueniet. Balnea vero ex aqua, in qua mercurius salibus iunctus, v. c. corrosiuus, solutus fuerit, breuis famae fuerunt, neque euentus exspectationi respondit.

p. 85. In capite ſeptimo generatim de vſu mercurii interno, quem modum exhibendi per digeſtionem dicit Noſter, exponitur, et primo quidem in forma ſicca. Omnis efficacitas mercurii ab eius ſolubilitate pendet, quam a praeparatione cum acidis muriis acquirit: quorum ergo, cum diuerſa ſit potentia agendi in corpus animale, inde etiam diuerſitas remediorum mercurialium patet. Ex his Cl. Auctor drageis KEISERI multum ſatis laudis tribuit: Cl. VENEL panaceam mercurialem cum turbith minerali coniungit, quae itidem methodus Noſtro arridet: contra vero mercurius crudus cum purgantibus valentioribus ſociatus plane reprobatur.

Multum vero his omnibus praeſtat forma humida, de qua caput octauum agit. Diuerſitas ſalium mercurialium diuerſitatem quoque ſolubilitatis efficit, quae in ſublimato corroſiuo maxima, idque ideo remedium ſpecificum potentiſſimum dicendum eſt. Huius ergo hiſtoria, exhibendi modus, vtilitas, fuſius nunc deſcribuntur. Menſtruum ſpirituoſum cum propter ingratum ſaporem adeoque ſiniſtrum effectum in primis viis, tum propter pretium maius reiicitur: aqua vero pura, vel deſtillata vti, perinde eſt. Noſter plerumque aqua deſtillata, ſaccharo dulciore reddita, vtitur, cuius librae grana octo mercurii corroſiui pro ſubiectis robuſtis, ſex pro tenerioribus addit. Mercurius ante in puluerem ſublitiſſimum redigendus et in vitro aquae tepidae ſoluendus, ac tunc demum reliquo fluido admiſcendus eſt. Doſis vnius cochlearis, quod ſextam partem grani continet (libra aquae grana octo mercurii habet), ter die, mane nimirum, inter horam decimam atque vndecimam, et ante ſomnum exhibenda eſt ex vehiculo quodam pingui et vnctuoſo: optimum eſt lac, quod ſi ventriculus ferre nequeat, decoctum farinaceum

p. 97.

p. 101.

cum vel iuſculum, imo vrgente neceſſitate aqua ſola, ſed maiori in quantitate; ſi aeger viribus exhauſtus eſt, nec tamen lactis vſum fert, nec inflammationis ſigna adſunt, optimum excipiens praebet cyathus chocoladae. Si libra mixturae grana duodecim capit, non, niſi bis de die cochlear vnum exhibendum eſt. Debilius adhuc ſit medicamentum, ſi non, niſi ſex grana in libra aquae ſoluimus, adeoque aegro tantum $\frac{3}{8}$ grani de die porrigimus. In morbo pertinaciori, aut vbi cunctatio periculum facit, vsque ad vnum granum de die aſcendendum eſt, tribus nempe vicibus duo cochlearia exhibendo: ſed vlterius doſin extendere ſuperuacuum eſt, cum tunc remedium nimis ſubito per vrinam exeat. Velox eſt effectus huius remedii: ſed vſum eius ſuſpendere, ſimulac ſymptomata ceſſant, non conſultum eſt; morbus, cuius ſymptomata poſt vſum quatuor granorum tolluntur, tamen, ſi paullum inueteratus ſit, ſedecim in vniuerſum grana poſtulat. Neque ergo doſis quaedam in genere definiri poteſt; ſaepius ad triginta ſex grana et vltra aſcendere oportet. Qui bolis et frictionibus incaſſum vſi ſunt, dimidium modo cochlear pro doſi ſumant, donec, euacuatione per vrinam et ſudorem copioſiore facta, doſis augeri poſſit. Si ptyaliſmi indicia ſe produnt, per duos vel tres dies a medicamento hoc abſtinendum eſt. Venaeſectio non, niſi tum indicatur, cum ſymptomata inflammatoria adſunt, et tunc interdum quoque repetenda eſt; aut cum, durante curatione, ipſa cutis multum calet, vel hemicrania aegrum male habet, vel eryſipelas, vel haemorrhoides, aut haemorrhagia narium largior accedunt. Purgantia autem, octauo quoque die exhibita, actionem mercurii vehementer adiuuant: ſeſquivncia mannae et vncia confectionis Hamech optimum

mum tunc medicamentum eſt; ſin vero aegroti a forma fluida abhorrent, bolus ex ialappa, ſaccharo et cinnabari, addito ſyrupo purgante, praeberi debet; robuſtis et pituitoſis parca doſis trochiſcorum alhandal egregie conducit.

